

Quolibetti

I minimum fm premissa declarata est termini realitas.
Octavus articulus. si entia rónis pbabent esse in in po^o obiectiva. ¶ Et dicunt cõiter q^o sic: ga omne pductu de nouo ante erat pducibile: alioquin pducere nõ potuisset. omne aut pducibile: vt sic, est in po^o obiectiva. ¶ Sed contra istud arguit 4^o. p^omo. ga omne pducibile est pducibile ab aliquo pducituro: entia aut rónis: vt ps: nullu bñt pducituro. ¶ 2^o ga omne pducibile nõ subsistit bz pñ susceptiuu: nõ sicut ostensum q^o isto careret entia rónis. ¶ Tertio. ga ista pducibilitas: aut esset fabricata ab aia: aut nõ. si sicut ante ens rónis esset ens rónis: ga fabricatõ ab aia. si nõ: tuc pñstãtiõ esset ens rónis ante sua pducitõ: qd ps: ga ante non fabricatõ: r postea fabricatõ ab aia. ¶ 4^o ga ex ente extra aiam non põt fieri ens aia: aut ep. r si ponant pmo distincta: tuc aut per pducitõem entis rónis fieret ex pducibili extra ens in aia: r p eius cessatões ens rónis fieret ens reale. ¶ Ideo dico q^o sic entia rónis nõ prebaberet esse in po^o subiectiva vel effectiva fm premissa: ita nõ vident esse in po^o obiectiva: ga aut eent pducibilia realia: aut fm rónis. si pmo modo possent eẽ realia producta. si scdo modo iã essent acta: entia rónis. ¶ Sed ostenditur diffi. ga illa que nõ sũt pducibilia in potentia obiectiva: sũt entia pbibita qualia nõ sũt entia rónis. ¶ Dicit aut q^o oia que dicta sũt vident inferre banc pñez: ga oia impõssa sũt entia pbibita: r illa sine ipõssa que nõ sũt in aliqua potẽtia. ¶ Scdo dif. ga si entia rónis sũt entia pbibita salte eo mō quo est dare entia pbibita est dare entia rónis. r sic cũ entia pbibita rónis sũt talia pter itel^m est dare entia rónis pter itel^m. ¶ Dicit aut q^o esse entiu pbibitorũ est non esse: r eoz positio est ablatio inesse pbibitorũ: r sic dico q^o entia rónis realia sũt ablata nec sũt entia rónis.

R Determinatio propria. Entia rónis nõ prebaberet esse in potẽtia obiectiva q^o dicitur. Dubium 2^o. Aut entia rónis pbibita rone r impõssa.

L In fine. Epilo cõis.

Impugn 4^o solubilia n.

Euaõ bona.

M

Capo de relatione in pdi camenda.

Determinatio propria. Entia rónis nõ intelligit: sicut dicitur. Dubia tripl: notabile.

Nonus articulus est: si entia rónis attingunt ab operatione ite^m. Et dicit vlt q^o sic: ga eoz esse possit in itell^o: r in intellectu esse. Et pñmat: ga nisi entia rónis intelligeremus de illis disputare nullatenus valeremus. ¶ Sed istud arguit 4^o. p^omo. ga illud qd intelligit intellectione reali: intelligit realia: r ipsuz est realia intelligibile: nullu autẽ ens rónis põt esse intelligibile realia: ga tuc esset realia: cũ esse intelligibile sit qdõaz esse. ¶ Et si dicat q^o id realia oenoiat extrinsece intelligibile a realitate itellectionis. ¶ Istud nõ põt eẽ nisi ga itel^o est realia qd eius: r istud nõ est posse: vt aliqd sit realiter eius qd nihil est realia. ¶ Scdo. ga ois qui realiter intelligit aliqd obm bz itellectione realia terminatã ad illud: cũ intelligere aliqd nõ sit nisi terminare itellectione: r terminare sit itelligi. sed nullu ens rónis põt realia terminare aliquã opatione. termin^o eni opationis realis nõ videt ens nõ reale. g nullu ens rónis põt realiter itelligi. ¶ Tertio. ga realia terminare aliquã opatione ad obm est ad ipsum realiter referri: cuius relatio realis sit scie ad scibile: r sicut itellectionis ad intelligibile: sed relo realis nõ põt esse ad ens rónis. tuc enim ens reale dependeret sic a rone. cũ ois relo a suis extremis depẽdeat: ergo ens rónis realia itelligi nequit. ¶ Quarto. ga esse alicuius est ad ipsum referri fm relatiõ diffõnez. fm enim q^o sunt alioz difr relatiõ diffinitiu: r iõ esse itellectione alicuius realiter est ad ipsum realia referri. r sic si entia rónis realia intelligunt: opz vt ad ipsa entia realia realia referant. ¶ Ideo dico q^o nõ facili videri põt quõ entia rónis attingant obriue ab opõne itellia. ¶ Sed ostenditur. quõ possumus disputare de ipsis realia nisi ipsa realia itelligam^o. ¶ Dicit q^o eo mō quo disputamus de nibilo: aut de entibus pbibitis itellectionib^o terminatis ad positiva entia: r illa sũt talia realia: r itel-

entia rónis sũt realia pbibita. ¶ Scdo dif. ga dicunt q^o intelligit realia quãtu ad ab^o itellectionis: nõ tamẽ quãtu ad re^o quẽ bz itellectio ad obm. r istud nõ valz: ga nullu obm intelligit itellectione nisi vt est ei^o vt obri. omne aut alicuius iquãtu tale est respectiuu. ¶ Tertio dif. ga dicit q^o re^o realis põt terminari ad ens rónis sic illa que nõ sũt actu actualia intelligunt cũ sũt in pura po^o. Istud nõ stare nõ põega tuc posset esse relo sine oi termino rei r rónis: cũ sublato ente rónis maneret re^o realis. Et si dicat q^o tuc cessaret re^o realis: tuc habet q^o ens reale dependeret ab ente rónis: r esset posterius.

Decimus articulus est si ista entia diminuta sũt ad rone relatiõ. Dicunt autẽ qdã q^o nõ: ga sũt ipse rones referendi. Istud nõ dicitur includit manifestã pditione: q^o sũt entia rónis r non referant ad ipsaz eo mō quo sũt entia rónis: r istud demonstrã qdruplici via. p^omo. ga fm diffõne datã a pbis: relatiõ sũt quecuqz hoc ipsuz q^o sũt alioz dicunt: r id eo q^o entia sũt rónis: r nõ dicant vt sic referri ad rone videt pdictio patet. ¶ Scdo. ga fz diffõne relatiõz datã a scis relatiõ sũt ad aliud: vt ps ex 7^o de tri. r iõ cũ entia rónis nõ sũt ad seimo ad aliud. sed rones: ps q^o referunt ad ipsaz iquãtu talia. ¶ Tertio. ga oẽ pducituu referit ad pducens: r ois originatus ad originans relone scdi modũ: ista autẽ entia originata sũt a rone r pducta. r assumptũ ps in p^o pbia. ¶ Scdo. ga oẽ depẽdens ab aliquo referit ad illud ad qd depẽdet cũ depẽdencia sit re^o: sed pñat q^o entia rónis depẽdet a rone. g vt depẽderia referunt ad eã. ¶ Ideo dico q^o nullus ponens entia rónis põt negare qn ipa referant ad rone. r tuc accipiunt due regule. Quaz pma expmit: r scdoz inuit bñs Aug^o 7^o de trini. p^oma est: q^o oẽ qd relatiõ õi est aliqd excepta ipa relone: r iõ si entia rónis iquãtu talia referant ad rone sit aliqd aliud pter esse rónis: qd est rõ ipa. ¶ Scdo regula est q^o oẽ qd est ad ali quid pus est aliquid ad se: r ideo si ens rónis est ad rone pñus erit in eo aliqd ad se: r istud erit reale cum fuerit habitudinẽ ad rone. Et pñmat istã: cũ omnia ens rónis fundat in ente qd õi rónis: cũ habitudo fundat in eo qd denotat: r ista habitudo denotat istõ ens. Tũ ga si ista habitudo. s. qua õi qd rónis fundaret in alio ente: pñm denotaret: r sic foret ens rónis. ¶ Dicit tũ aliqui q^o ista habitudo qua dicit rónis: nõ intelligeret fundata eẽ in ente rónis: tuc eni illõ pcederet ipsaz rónis originẽ: sed ipsamet habitudo ad rone est totũ ens rónis. ¶ Sed istud arguit 4^o. p^omo. ga cũ in entibus rónis ponit idẽ r diuersuz fm rone: tuc habitudo idẽritatis esset ad rone: r sic tuc ens rónis in quãtu tale esset oino idẽ cũ rone. ¶ Scdo. ga cũ prius r posteri^o ponant in entibus rónis: accipiẽdo istud pus si eẽt oino habitudo ad rone: tuc in rone eẽt posterioritas ei oppõsita: r sic rõ posterior ente rónis. ¶ Tertio. ga cũ superior r inferior in entibus rónis sũt rónis entia accipiẽdo de superioritate se tota esset ad rone: tuc eẽt inferior tali ente. ¶ Quarto. ga cũ cã r effectus in entibus rónis sũt rónis entia: tuc causalitas rónis eẽt totalia in habitudine ad rone: r sic rõ esset effectus ipsius. ¶ Ideo dico q^o si ponant entia rónis: vt pura de tri r sũstrũ in colũna: alia est habitudo eoz ad iuce: vt de tri ad sũstrũ: r alia habitudo eoz ad rone. vñ de tri respicit rone sic cãm r sũstrũ sic oppõsita nõ cãm: r sic cũ qd dicit de tri sit ad sũstrũ nõ poterit additari fm illã habitudinẽ esse rónis: sed denotatiue: r sic cũ qd dicitur in quolibet pcedat denotatiuu prius erit ens nõ rónis qd rónis. ¶ Sed ostenditur. ga dicit cõiter q^o sicut tota entitas creaturẽ est in ordine ad deũ: ita tota entitas rónis

N Entia rónis vt pbibita intelligi.

Relatiõ itellectionis ad intelligibile nõ saluari in entibus rónis posse

Epilo alioz. **Impugn** 4^o

O In pdicamẽtis vbi supra.

Determinatio propria. Entia rónis ad rone referri. Regula 2^o ex Augustino. Castigabit prodẽs lectos omnia. Ad pbematẽce r gta ex cãrdi ingenio disputat in re na hac mã.

P Entia bona sũt nõ vltia.

Ne õi qd fy qd re format eẽ ens rónis.

Q

Determinatio propria. Entia rónis referri dupli.

Entis pte. tas rónis

PŘÍLOHA 2

FRANCISCI DE MAYRONIS OFM

SEXTA SEPTIMAQUE QUAESTIO

QUODLIBETI

(Transkripce textu pochází z benátského vydání Mayronisova díla Kvodlibet, které bylo fototypicky vydáno nakladatelstvím Minerva GmbH, Frankfurt / Main, Unveränderter-Nachdruck 1966)

Sexta questio – Utrum sit dare entia rationis pertinentia ad scientiam theologiae? IV

- Praeintelligendum est quod quatuor modis accipitur ratio in Sacra Scriptura. IV
- Articulus 1: Quid est ens rationis? VI
- A. 2: Si prima entis divisio est in ens reale et rationis?..... VII
- A. 3: Si ista divisio entis in reale et rationis est recta? VIII
- A. 4: A quo entia rationis sunt producta?..... IX
- A. 5: In quo rationis entia recipiuntur?..... X
- A. 6: Si entia rationis praehabent esse in potentia subiectiva?..... XI
- A. 7: Si entia rationis praehabeant esse in potentia effectiva?..... XII
- A. 8: Si entia rationis praehabent esse in potentia obiectiva? XII
- A. 9: Si entia rationis attinguntur ab operatione intellectus? XIII
- A. 10: Si ista entia diminuta sunt ad rationem relativam?..... XIV
- A. 11: Si entia rationis sunt entia simpliciter? XVI
- A. 12: Si entia rationis mediant inter ens simpliciter et nihil?..... XVII
- A. 13: Si per actum rationis nostrae formantis ista entia rationis secundum ponentes ea, possunt verificari illa, qua non sunt in rebus ita simpliciter? XVIII
- A. 14: Si ista entia rationis verificant scientiam theologiae? XIX
- A. 15: Si passiones entis rationis possunt inveniri in rebus sicut idem et diversum aut prius et posterius, ponuntur passiones entis disiunctae. Et ponuntur hic quattuor conclusiones? XX
- A. 16: Si entia rationis sunt in aliquo praedicamento? XXI
- A. 17: Si de entibus rationis potest esse scientia? XXIII
- A. 18: Si ista entia rationis producuntur a voluntate divina? XXIV
- A. 19: Si ad divinum intellectum pertinet fabricare entia rationis sicut ad nostrum? XXV
- A. 20: Si entia rationis sunt formaliter in Deo? XXVI

Septima quaestio – Utrum entia rationis sint necessaria?.. XXVII

- Et videtur... XXVII
- Punctum 1: De universalibus. XXVII
- P. 2: De secundis intentionibus. XXVIII
- P. 3: De relationibus. XXIX
- P. 4: De complexionibus. XXX
- P. 5: De privationibus et negationibus. XXXI
- P. 6: De entibus possibilibus. XXXII
- P. 7: De entibus prohibitis. XXXIII
- P. 8: De entibus successivis. XXXIV

- P. 9: De entibus relativis. XXXV
- P. 10: De habitudinibus extrinsecis. XXXVI
- P. 11: De productis in esse cognito. XXXVII
- P. 12: De productis in esse volito. XXXVIII
- P. 13: De indivisibilibus. XXXIX
- P. 14: De numeris. XL
- P. 15: De reflexionibus. XLI
- P. 16: De obiectualibus conditionibus. XLI
- P. 17: De disiunctis passionibus. XLII
- P. 18: De respectibus terminantibus. XLIII
- P. 19: De negativis remotionibus. XLIV
- P. 20: De identitatis affirmationibus. XLIV

Sexta questio: Utrum sit dare entia rationis pertinentia ad scientiam theologiae?

Et quidem ad istius quaestionis declarationem EST PRAEINTELLIGENDUM quod quatuor modis accipitur ratio in Sacra Scriptura.

Primo modo accipitur ratio pro quidditate et diffinitione, quae dicitur esse ratio formalis uniuscuiusque. Et ita videtur loqui sapiens Ecclesiastes 8. capitulo: „ *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem.*“ Quia scilicet rerum differentiae sunt nobis ignotae vel occultae. Et ideo dicit: „ *quod quanto plus laboravit homo ad investigandum, tanto minus inveniat.*“ Quod non est nisi ex occultatione differentiarum quidditativarum, quae demonstrant propter quid.

Secundo accipitur ratio pro notitia declarativa talis quidditatis, quae quandoque dicitur diffinitio. Et sic loquitur Deus, Iob 38. capitulo: „ *Nunquid nosti ordinem coeli et pones rationem eius in terra?*“

Tertio accipitur ratio pro notitia comparativa unius ad alterum, de qua videtur loqui sapiens Ecclesiastes 9. capitulo: „ *Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia apud inferos, quo tu properas.*“

Quarto accipitur ratio pro causa eo modo, quo dicitur rationem reddere, qui dat causam. Et sic videtur loqui Scriptura Iob 38 capitulo: „ *Quis enarrabit coelorum rationem.*“ Et per istum modum vocabat beatus Augustinus ideas rationes aeternas in Libro 83 questionum. Et ponit rationes originales in tertio De Trinitate.

Nunc ad propositum non intenditur haec ratio pro quidditate aut pro causa, quia constat quod in rebus entia talium rationum semper est invenire, nec forte pro notitia declarativa, quia ad illam pertinet exprimere quidditatem, et non aliquid fingere fictum per actum intellectus comparativum, per quem multipliciter circa intelligibilia negotiantur.

Intelligendum tamen est quod comparando ad istam rationem aliquid dicitur esse rationis quatuor modis: aut quia tali ratione causatum, quemadmodum aliquid dicitur alicuius, quia ab ipso effectum. Et sic possunt dici omnes intellectuales virtutes entia rationis, quia sunt ex talibus actibus aggeneratae. Aut quia a tali ratione regnante sicut dicitur recte rationis illud, quod ratio dictat. Et isto modo dicitur medium virtutum moralium medium rationis. Aut quia ab illa ratione derelictum sicut esse cognitum sequitur ex actu cognoscendi. Et isto modo obiecta, ut in esse cognito producta, possunt dici entia rationis. Aut quia a tali ratione confictum, quemadmodum intellectus negocians circa sua obiecta. Dicitur confingere entia diminuta, et isto modo sumuntur haec entia rationis, quia isto modo solum entia rationis distingui videntur contra ens reale.

Sed attendendum est quod licet de istis entibus rationis philosophi parum fuerint locuti, tamen sancti nostri aut nunquam, aut vix inveniuntur fecisse mentionem de eis. Et quamvis antiqui theologi quamquam fugerent

ad ista entia, modernum tamen vulgus theologiae omnia fere salvare conantur per entia rationis. Et ista multiplicatio entium rationis ponitur ex quadruplici causa.

Prima est violentia argumentorum. Quando nimis cogunt in entibus realibus, fugitur ad entia rationis, ut in attributis divinis, quando unum demonstratur de alio.

Secunda causa est insufficientia solutionum. Ut si non possit quis solvere, fugit ad entia ista, sicut propter rationem de communicabili et incommunicabili, fugiunt ad distinctionem rationis inter essentiam et proprietatem.

Tertia causa est latentia difficultatum. Sicut quando non possent aliqui intelligere de aliqua veritate, quomodo sit in re, ponunt eam confestim in ratione, ut patet de tempore et motu.

Quarta causa est excellentia intelligibilium. Sicut quando circa divina non possunt aliqui salvare, quod dicunt secundum rem, confugiunt ad rationem quemadmodum ille doctor qui ponentibus multis doctoribus dicebat quod divina essentia in ratione causat actum intelligendi in intellectu divino, ipsum monens ad intelligendum, et cum a ceteris doctoribus argueretur, dixit quod talem motionem et causationem non intendebat nisi secundum rationem.

Et istis adiungitur avaritia mira quorundam, qui nullum ens reale volunt ponere nisi cogantur, et dicunt quod non possunt cogi nisi ad substantiam et qualitatem omnibus aliis praedicamentis positae tantum secundum rationem. Et adhuc de qualitate dubitant per illam regulam peripatheticam *in paucioribus via magis*, quae multas interimit veritates, cum non omnia vera sint demonstrabilia.

Istis autem praemissis arguitur ad partem affirmativam quaestionis quadrupliciter, quia inter principia primae philosophiae est *quod ens dividitur in ens in anima et extra animam*. Ita quod ens in anima dicitur ens rationis, sicut ens extra animam dicitur esse ens reale, et sic prima philosophia ponit entia rationis.

Secundo. Quia in naturalibus dextrum et sinistrum non sunt realiter nisi in animali, sed ista ponuntur esse in columna per comparisonem rationis nostrae ad animal, ergo habent ibi esse secundum rationem et per consequens sunt entia rationis.

Tertio. Quia in logicalibus omnia relativa dicuntur ad convertentiam eo, quod adinvicem referantur. Constat autem quod non semper referantur adinvicem secundum rem, sicut patet in scibili et scientia, ergo ibi est dare secundum rationem.

Quarto. In disciplinabilis. Quia sicut docet naturalis philosophia secantur scientiae, quemadmodum et scibilia, et ideo cum scientiae distinguantur in reales et rationales, oportet ut scibilia distinguantur in realia et rationalia.

Sed contra. Quia regula est beati Augustini septimo De Trinitate *quod omne, quod relative dicitur, est aliquid excepta relatione.* Et ideo, cum ens rationis relative dicatur ad rationem, sicut originatum ad suum originans, est aliquid propter respectum ad rationem, et illud rationis esse non potest, et sic reale.

Secundo. Quia regula eiusdem est, quod *illud, quod nulla res, est omnino nihil est.* Entia rationis nulla res sunt et ideo nihil sunt omnino et illud omnino nihil non est a ratione nihil.

Tertio. Quia alia regula eiusdem est, quod *ille intellectus est falsus, qui intelligit rem aliter, quam sit.* Ille autem, qui fingit illa, quae non sunt in re, intelligit rem aliter quam sit, et ideo est falsus intellectus, talis autem falsitas est rationis.

Quarto. Quia alia regula ipsius est quod *in omni effectu creaturae Deus concurrat, cum cetera agentia agant non independenter,* et sic concurrat ad istum rationis effectum actione praeviente actionem nostrae rationis, quae non est rationis, immo realis.

Et confirmatur. Quia quicquid potest Deus causare mediante causa secunda effective, potest immediate et per se, et sic potest facere effectum rationis per se, sine ratione.

Et ad istam questionem sunt plures articuli declarandi.

Quorum PRIMUS EST: Quid est ens rationis?

Dicitur autem communiter quod ens rationis est illud, quod est ab anima nostra fabricatum, quia dicitur ens rationis in habitudine ad rationem. Et ista habitudo non potest esse nisi originis, ut per se patet.

Sed contra hanc diffinitionem instatur quadrupliciter. Primo. Quia habitus intellectuales originantur a ratione, et tamen non ponuntur entia rationis.

Secundo. Quia actus intelligendi fabricantur a ratione, et tamen ponuntur entia realia.

Tertio. Quia dispositiones ad virtutes intellectuales sunt realia, et tamen sunt ab ipsa ratione originata.

Quarto. Quia species intelligibiles in nostro intellectu possibili fabricantur ab intellectu agente, et tamen non sunt entia rationis.

Ideo dicitur magis proprie quod entia rationis sunt illa, quae sunt facta a ratione obiective negociante per modum cuiusdam figmenti.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod ista entia rationis non producuntur, licet aliquo modo ipsam rationem subsequantur. Istud tamen stare non potest. Quia non capitur ratio quod aliquid transeat de non esse ad esse, quando producat in esse. Et iterum omne, quod attingit esse aut est a se, quod est impossibile, aut ab alio et istud est producens.

Secunda difficultas. Quia dicunt aliqui quod ista entia rationis proprie non dependent ab aliquo, licet ipsam rationem concomitentur. Istud autem stare non potest, quia ab illo dependet aliquid, quo sublato illud aufertur, nisi sint idem, sublato autem actu rationis non manent talia entia, et ideo non sunt independentia ab eo et iterum independentia¹ est conditio perfectissimi entis.

SECUNDUS ARTICULUS EST: Si prima entis divisio est in ens reale et rationis?

Dicitur autem communiter quod sic. Quia postquam divisum est ens in reale et rationis, ens reale dividitur in decem praedicamenta, quae est divisio prope primam.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia qualis est ordo dividendum, talis est ordo divisionum inter aliqua, cum divisio sequatur² ipsa dividenda. Sed cum ens dividatur in substantiam et accidens, ista dividenda praecedunt illa, cum ens rationis sit posterius actu rationis, qui est de genere qualitatis, et ens prius dividitur in substantiam et accidens, quam descendat in aliquam qualitatis speciem. Ergo divisio illa est posterior.

Secundo. Quia omnis divisio praesupponit extrema illius divisionis, cum sit habitudo inter illa, et omnis habitudo est posterior suis extremis, sed in divisione illa ens rationis est unum extremum. Ergo ens rationis est prius ea, sed istud ens est posterius actu intelligendi, qui est species qualitatis. Ergo cum ante istius speciei constitutionem ens multipliciter sit divisum, ista divisio non est prima.

Tertio. Quia prius est esse quam dividi per se, notum enim videtur quod dividi praesupponit esse et ideo divisio in ens rationis praesupponit ens rationis. Istud autem (ut patuit) est posterius genere notitiae. Ergo divisio eius est posterior divisione cuiusque superioris ad istud genus.

Quarto. Quia divisio entis in ens reale et rationis non potest esse realis, cum eius extrema non sint realia. Divisio autem entis in substantiam et accidens est realis propter extremorum realitatem, et ideo cum entia rationis sint posteriora entibus realibus, maxime necessariis sicut sunt ista, divisio ista est posterior. Ideo ponuntur hic quattuor conclusiones.

Quarum primam est, quod prior est divisio entis in substantiam et accidens quam in reale et rationis, quia ens rationis est posterius illo, quod est sub accidente, et tamen inferius est posterius.

Secunda conclusio. Quod prior est divisio entis in absolutum et respectivum, quam in ens reale et rationis, quia ens rationis est posterius ratione contenta sub absoluto.

¹ Ve zdroji bylo „independentia“.

² Ve zdroji bylo „sequatur“.

Tertia conclusio. Quod prior est divisio entis realis in decem praedicamenta, quam entis simpliciter in ens reale et rationis, quia ens rationis est posterius (ut patuit) praedicamento qualitatis, cuius species est actualis consideratio.

Quarta conclusio. Quod prior est divisio qualitatis in corpoream et in incorpoream ad modum substantiae, quam illa, quae dicta est, quia sub ista divisione sequitur illa, per quam genus considerationis constituitur, a quo ens rationis dependet.

Sed oritur difficultas. Quia subdivisio semper videtur esse posterior divisione, et sic divisio entis realis posterior, quam illa, in qua ipsum est dividens. Dicitur quod verum est ubi utraque divisio quidditativa, non tamen nisi prima quidditativa non est sicut in proposito, et ulterius hoc est ordo tantum accidentalis.

TERTIUS ARTICULUS EST: Si ista divisio entis in reale et rationis est recta?

Dicitur autem communiter quod sic, quia ista ponitur in prima philosophia.

Sed istud non videtur stare posse quadruplici ratione.

Primo. Quia omne divisum abstrahit a suis dividendis, cum sit superius, et sic istud divisum non esset reale, nec rationis, quod non videtur possibile.

Secundo. Quia omne divisum est prius dividendis suis, cum sit communius directe, et tamen nihil potest esse prius ente reali, a quo omnia procedunt.

Tertio. Quia omne divisum videtur imperfectius suis dividendis, cum sit potentialius illis, et constituta per dividenda se habeant, ut per additionem ad divisum, et sic esset aliquod ens magis diminutum quam ens rationis.

Quarto. Quia omne divisum includitur in constitutis per sua dividenda, quae adveniunt ei, et sic in quolibet ente rationis includeretur aliquid, quod non est fabricatum ab anima, et sic non erit rationis secundum se totum.

Ideo dico. Quod si ens dividatur in reale et rationis, istud divisum oportet ut ponatur uno quatuor istorum modorum, aut quod illud commune ponatur ens reale aut rationis, aut erit neutrum, aut utrumque. Non ens reale, quia tunc ens reale esset commune ad ens rationis, et de illo diceretur in quid. Nec rationis, quia tunc ens rationis diceretur de ente reali in quid. Nec utrumque, quia tunc utrumque conveniret alteri. Nec neutrum, quia fabricatum ab anima et non fabricatum sunt extrema contradictionis. Et omne non fabricatum ab anima ponitur ens reale, sicut fabricatum ab anima ens rationis secundum dicta, quia ideo talis divisio videtur tantum esse secundum vocem, sicut cum ens dividitur in prohibitum et non prohibitum, nec per consequens pertinet ad primam philosophiam.

Sed oritur difficultas. Quia idem conceptus non potest esse certus et dubius. Aliquis autem intellectus est certus de ratione, quod est ens. Dubitat autem, utrum sit ens reale aut rationis, et ideo oportet, ut ens illud commune habeat alium conceptum a reali et ratione, et non solum nomen commune.

Secunda difficultas. Quia aliquis est certus de motu et tempore, quod sunt entia, et dubitat utrum in anima vel extra animam, et sic alius est conceptus entis ab eo, qui est in anima et extra animam.

Dicitur autem utrique quod talis nullam habet certitudinem, nisi de nomine, sicut ille, qui dubitat, utrum contradictionis veritas sit ens prohibitum aut non prohibitum, non novit enim de ipso conceptum, cum ille non coincidat cum ente prohibito.

QUARTUS ARTICULUS: A quo entia rationis sunt producta?

Dicitur autem communiter a ponentibus illa, quod ipsa producta sunt per actum rationis nostrae negociantis aut comparantis unum obiectum ad aliud.

Sed ista productio videtur esse impossibilis quadruplici ratione.

Primo. Quia omnis causa realis habet effectum realem, alioquin in re esset causa sine effectu, actus rationis nostrae est semper realis causa, cum vere sit in rerum natura. Ergo non poterit habere effectum rationis.

Secundo. Quia si dicatur quod actus rationis nostrae, licet sit realis, non tamen causa realis in proposito, tunc sic arguitur. Causa ut causa praecedat suum effectum secundum ordinem, cum sit illi hoc ab hoc. Et ideo ratio nostra ut causa entis rationis praevenit ipsum, ut ipsum praevenit, nihil habet secundum rationem. Ergo est causa secundum rem.

Tertio. Quia productio, qua producit ratio nostra ens rationis, aut est realis aut rationis. Si realis, omnis actio et productio realis habet terminum realem. Si rationis, tunc ante omne ens rationis erit productio rationis, quod est inconveniens.

Quarto. Quia accipio primum ens rationis, et istud non potest produci. Ut accipiat esse per productionem realem, tunc enim esset res.

Ideo dico, quod non video, per quem modum ista entia rationis accipiant esse a causis realibus, quin ipsa sint realia.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod licet ista entia rationis accipiant esse a causis realibus, cum ipsa dependeant a ratione nostra, non tamen proprie causantur ab eo, quia entium diminutorum non est proprie causa. Istud tamen dictum non evadit difficultatem, quia sicut argutum est de causalitate, ita potest argui de dependentia, si est realis aut rationis.

Secunda difficultas. Quia dicunt alii quod ista entia proprie non producuntur, sed resultant, et tunc potest formari ratio sicut prius, quia ista resultatio est realis aut rationis.

Tertia difficultas. Quia dicunt aliqui quod talis processus ad esse ipsorum entium rationis est per modum cuiusdam sequelae, et istud magis confirmat propositum, quia sequela in quantum sequela ostendit posteritatem ad id, quod sequitur. Et tunc aliud est prius realiter, et sic aut realiter posterius aut prius ratione, et tunc ens rationis et non ens rationis.

Quarta difficultas. Quia dicunt alii quod talia entia seipsis producuntur et seipsis causantur, sicut quaedam causationes. Istud tamen non evadit difficultatem, quia cum per causationem et productionem aliquid accipiat esse, secundum dicta communia nihil accipit esse per seipsum.

QUINTUS ARTICULUS EST: In quo rationis entia recipiuntur?

Dicit autem vulgus theologorum, quod ipsa sunt in rebus, tamen non realiter, sed per attributionem nostri intellectus.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia cum ens dividatur secundum istos in ens in anima et extra animam, ens in anima dicunt ens rationis, et sic istud ens non est in rerum natura, sed solum in anima.

Secundo. Quia si dicatur quod talia entia dicuntur esse in anima, quia ibi sunt obiective tantum, sed in rebus, quibus attribuuntur, sunt subiective. Istud non valet, quia entia realia eodem modo sunt in anima, scilicet obiective, tamen sunt subiective in rebus extra.

Tertio. Quia si talia entia essent in rebus extra, tunc quotiens entia rationis circa talia fabricarentur, in seipsis mutarentur, cum transirent in se formaliter de privatione ad formam, et aliter se haberent nunc et prius.

Quarto. Quia intellectus noster est potentia operativa ad actiones immanentes, et ideo non videtur quod intellectus sic imprimat rebus tales entitates.

Ideo dico quod entia rationis non sunt in rebus, quia quidquid est in re, est reale, sicut quidquid est in singulari, est singulare, cum realitas sit prior singularitate, quemadmodum quicquid est in existente est existens. Et confirmatur. Tum quia si essem in re, dependerem a re per modum recipientis, et tunc illa receptio non esset realis, quia talis haberet receptum reale necessario. Nec rationis, quia per suum inesse non reciperet rationem. Tum quia recipiens in quantum recipiens praevenit receptum secundum originem aut naturam, et receptio ipsum recipiens in quantum tale, sicut causa formalis suum effectum, et tunc in illo priori ante primum rationis actum erit realis receptio.

Ideo dicunt aliqui sollertiores quod licet entia rationis causentur a rebus moventibus intellectum effective, tamen non sunt in rebus subiective. Et istud non videtur valere, quia non est magis intima dependentia ad subiectum, quam ad efficiens, cum nullus effectus possit esse sine causa efficiente. Bene tamen sine materiali et ideo si ex hoc, quod aliquid est in re, ostenditur esse reale per suum inesse, multo magis ex hoc, quod aliquid

est a re, ostenditur esse reale, et sic ista entia non erunt in rebus nec a rebus, sicut entia prohibita.

Sed oritur difficultas. Quia cum ratio nostra sit quaedam res, ita ostenditur quod nec sunt in ratione nostra, nec a ratione. Dicitur quod uniformiter currunt rationes, et ideo ista viderentur entia prohibita.

Secunda difficultas. Quia dicunt aliqui quod non est intelligendum quod sint ab actu reali nostrae rationis effective, aut in eo subiective. Si obiective in eo et ab eo. Istud tamen non valet. Quia eodem modo arguitur de isto modo essendi et inessendi, sicut supra, quia tale inesse et esse ab aliquo aut est reale, aut rationis.

SEXTUS ARTICULUS EST: Si entia rationis praehabent esse in potentia subiectiva?

Dicunt autem quod sic illi, qui ponunt entia rationis in rebus, quia omne subiectum habet potentiam receptivam eius, quod est natum in eo recipi, et talis potentia est subiectiva.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia potentia ista subiectiva praeveniens omnem actionem rationis in qualibet re est realis necessario, omnis autem potentia realis videtur quod necessario recipiat realem actum, cum sit propter ipsum sicut propter finem, et omnis effectus realis habet causam realem.

Secundo. Quia potentia ex sua ratione quidditativa videtur dicere ordinem ad actum, cum sit pro re alicuius ponibilis, sed ordo realis non potest esse ad ens rationis sicut nec relatio, cum ordo sit quidam respectus. Ergo ad entia rationis non est potentia subiectiva.

Tertio. Quia omnis potentia, quae non potest reduci ad actum in rerum natura est frustra, sicut potentia generativa chimerae esset frustra in animalibus, nisi chimera posset gigni in natura, et ideo potentia ista realis esset frustra, si non posset realiter ad actum reduci. Et si dicatur quod sufficit quod possit reduci ad actum per intellectum, istud non valet, quia entia prohibita isto modo reducuntur ad actum sine ulla reali potentia.

Quarto. Quia entia prohibita, cum intelligerentur a nobis, fundarent entia rationis nostrae negotiantis circa ipsa et comparantis, sicut comparantur entia realia, et tamen ibi nulla realis est potentia receptiva, cum ibi nulla sit realitas possibilis. Et sic entia rationis non requirent, ubi sunt, potentiam subiectivam.

Ideo dico quod entia rationis non praehabent esse in potentia subiectiva, et per consequens sunt impossibilia esse in subiecto, cum omne possibile inesse sit natum ibi recipi.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt quod licet non praehabeant esse in potentia subiectiva realiter, tamen bene secundum suum modum essendi diminutum. Et istud non valet, quia ostensum est quod ante suum esse actuale per rationem non est aliquid esse nisi reale.

Secunda difficultas. Quia dicunt, quod licet istud esse subiectivum sit reale in se, tamen non in ordine ad talem actum. Et istud non valet, quia ille ordo praevenit istum actum et ante illum actum nullum ens est rationis.

SEPTIMUS ARTICULUS EST: Si entia rationis praehabeant esse in potentia effectiva?

Et dicunt communiter quod sic. Quia nisi ratio nostra haberet virtutem productivam talium effectuum, nunquam fabricaret eos sicut nec sensus.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia talis potentia productiva entium realium, cum praeveniat omne ens rationis, est realis, et omnis potentia productiva realis videtur esse respectu productionis realis, quae semper realem terminum habet. Et probatur assumptum, quia sicut productivum est, quod potest producere, ita productivum realiter, quod potest esse producens realiter.

Secundo. Quia potentia productiva dicit secundum se ordinem ad producibile, et ideo potentia realis ad talem ordinem realem, sed realis ordo non est ad entia rationis. Ergo non praehabent esse in potentia productiva.

Tertio. Quia omne productivum ad aliud est productivum, aut ergo ad aliud secundum rem, et sic habetur intentum. Aut ad aliud secundum rationem, et sic oportet quod sit productivum secundum rationem quod non potest esse ante primum rationis actum.

Quarta. Quia posito uno relativorum in re, sicut concedunt, necessarium est ponere aliud in re, cum relativa posita se ponant et perempta se perimant, et ideo si est dare productivum in re, necessarium est dare producibile in re et econtra.

Ideo dico, quod sicut entia rationis non praehabent esse in potentia subiectiva in rebus, ita nec in potentia effectiva. Apparet: quomodo possit esse prius quam sint in actu, sicut entia prohibita, quae in nulla potentia habent esse.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod cum dicitur aliquid productivum realiter, istud realiter potest esse determinatio principii aut termini. Primo modo entia rationis habent realiter principium productivum et non secundo. Istud tamen non valet, quia ex ordine reali principii productivi ad terminum secundum praemissa declarata est termini realitas.

OCTAVUS ARTICULUS: Si entia rationis praehabent esse in potentia obiectiva?

Et dicunt communiter quod sic. Quia omne productum de novo ante erat producibile, alioquin produci non potuisset. Omne autem producibile, ut sic, est in potentia obiectiva.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia omne producibile est producibile ab aliquo productivo, entia autem rationis, ut patet, nullum habent productivum.

Secundo. Quia omne producibile non subsistens habet principium susceptivum, et tamen fuit ostensum quod isto carent entia rationis.

Tertio. Quia ista producibilitas aut esset fabricata ab anima aut non. Si sic, tunc ante ens rationis esset ens rationis, quia fabricatum ab anima. Si non, tunc praestantius esset ens rationis ante suam productionem, quod patet, quia ante non fabricatum, et postea fabricatum ab anima.

Quarto. Quia ex ente extra animam non potest fieri ens animae aut econtra. Et si ponantur primo distincta, tunc aut per productionem entis rationis fieret ex producibili extra ens in anima, et per eius cessationem ens rationis fieret ens reale.

Ideo dico quod sicut entia rationis non praehabent esse in potentia subiectiva vel effectiva secundum praemissa, ita non videntur esse in potentia obiectiva, quia aut essent producibilia realiter, aut secundum rationem. Si primo modo, possent esse realiter producta. Si secundo modo, iam essent actu entia rationis.

Sed oritur difficultas. Quia illa, quae non sunt producibilia in potentia obiectiva, sunt entia prohibita, qualia non sunt entia rationis. Dicitur autem quod omnia, quae dicta sunt, videntur inferre hanc conclusionem, quia omnia impossibilia sunt entia prohibita, et illa sunt impossibilia, quae non sunt in aliqua potentia.

Secunda difficultas. Quia si entia rationis sunt entia prohibita, saltem eo modo, quo est dare entia prohibita, est dare entia rationis. Et sic cum entia prohibita rationis sunt talia praeter intellectum, est dare entia rationis praeter intellectum. Dicitur autem quod esse entium prohibitorum est non esse, et eorum positio est ablatio inesse prohibitorum, et sic dico quod entia rationis realiter sunt ablata nec sunt entia rationis.

NONUS ARTICULUS EST: Si entia rationis attinguntur ab operatione intellectus?

Et dicitur universaliter quod sic, quia eorum esse consistit in intelligibili et in intellectu esse. Et confirmatur, quia nisi entia rationis intelligeremus, de illis disputare nullatenus valeremus.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia illud, quod intelligitur intellectione reali, intelligitur realiter. Et ipsum est realiter intelligibile, nullum autem ens rationis potest esse intelligibile realiter, quia tunc esset realiter, cum esse intelligibile sit quoddam esse. Et si dicatur quod id „realiter“ denominat extrinsece intelligibile a realitate intellectionis. Istud non potest esse nisi quia intellectio est realiter quid eius, et istud non est possibile, ut aliquid sit realiter eius, quod nihil est realiter.

Secundo. Quia omnis, qui realiter intelligit, aliquod obiectum habet intellectionem realiter terminatam ad illud, cum intelligere aliquod non sit nisi terminare intellectionem, et terminare sit intelligi. Sed nullum ens rationis potest realiter terminare aliquam operationem. Terminus enim operationis realis non videtur ens non reale. Ergo nullum ens rationis potest realiter intelligi.

Tertio. Quia realiter terminare aliquam operationem ad obiectum est ad ipsum realiter refferi, cum relatio realis sit scientiae ad scibile, et sicut intellectionis ad intelligibile, sed relatio realis non potest esse ad ens rationis. Tunc enim ens reale dependeret sic a ratione. Cum omnis relatio a suis extremis dependeat, ergo ens rationis realiter intelligi nequit.

Quarto. Quia esse alicuius est ad ipsum referri secundum relativi diffinitionem. Secundum enim quod sunt aliorum dicuntur relativa diffinitive, et ideo esse intellectionem alicuius realiter est ad ipsum realiter referri. Et sic si entia rationis realiter intelliguntur, oportet ut ad ipsa entia realia realiter referantur.

Ideo dico quod non faciliter videri potest, quomodo entia rationis attingantur obiective ab operatione intellectiva.

Sed oritur difficultas. Quomodo possumus disputare de ipsis realiter, nisi ipsa realiter intelligamus. Dicitur quod eo modo, quo disputamus de nihilo aut de entibus prohibitis intellectionibus terminatis ad positiva entia, et illa sunt talia realiter, et similiter entia rationis sunt realiter prohibita.

Secunda difficultas. Quia dicunt quod intelligitur realiter quantum ad absolutum intellectionis, non tamen quantum ad respectum, quem habet intellectio ad obiectum. Et istud non valet, quia nullum obiectum intelligitur intellectione, nisi ut est eius ut obiecti. Omne autem alicuius in quantum tale est respectivum.

Tertia difficultas. Quia dicunt quod respectus realis potest terminari ad ens rationis sicut illa, quae non sunt actu actualiter intelliguntur, cum sint in pura potentia. Istud tamen stare non potest, quia tunc posset esse relatio sine omni termino rei et rationis, cum sublato ente rationis maneret respectus realis. Et si dicatur quod tunc cessaret respectus realis, tunc habetur quod ens reale dependeret ab ente rationis et esset posterius.

DECIMUS ARTICULUS EST: Si ista entia diminuta sunt ad rationem relativam?

Dicunt autem quidam quod non, quia sunt ipsae rationes referendi. Istud tamen dictum includit manifestam contradictionem quod sint entia rationis et non referantur ad ipsam eo modo, quo sunt entia rationis, et istud demonstratur quadruplici via.

Primo. Quia secundum diffinitionem datam a philosophis relativa sunt quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur. Et ideo quod entia sint

rationis et non dicantur, ut sic referri ad rationem, videtur contradictio patens.

Secundo. Quia secundum diffinitionem relativorum datam a sanctis relativa sunt ad aliud, ut patet ex septimo De Trinitate. Et ideo cum entia rationis non sint ad se, immo ad aliud scilicet ad rationem, patet quod referuntur ad ipsam inquantum talia.

Tertio. Quia omne productivum refertur ad produciens, et omnis originatus ad originans relatione secundi modi, ista autem entia originata sunt a ratione et producta. Et assumptum patet in prima philosophia.

*Secundo*³. Quia omne dependens ab aliquo refertur ad illud, ad quod dependet, cum dependentia sit respectus, sed constat quod entia rationis dependent a ratione. Ergo ut dependentia referuntur ad eam.

Ideo dico quod nullus ponens entia rationis potest negare, quin ipsa referantur ad rationem. Et tunc accipiuntur duae regulae. Quarum primam exprimit et secundam innuit beatus Augustinus septimo De Trinitate. Prima est quod *omne, quod relative dicitur, est aliquid excepta ipsa relatione*. Et ideo si entia rationis, inquantum talia referantur ad rationem, sunt aliquid aliud praeter esse rationis, quod est ratio ipsa.

Secunda regula est quod *omne, quod est ad aliquid, prius est aliquid ad se*, et ideo si ens rationis est ad rationem, prius erit in eo aliquid ad se, et istud erit reale, cum praeveniat habitudinem ad rationem. Et confirmantur ista: tum quia ens rationis fundatur in ente, quod dicitur rationis, cum habitudo fundetur in eo, quod denominat, et ista habitudo denominat istud ens. Tum quia si ista habitudo scilicet qua dicitur quod rationis fundaretur in alio ente, ipsum denominaret, et sic foret ens rationis.

Dicunt tamen aliqui quod ista habitudo, qua dicitur rationis, non intelligeretur fundata esse in ente rationis, tunc enim illud praecederet ipsam rationis originem, sed ipsamet habitudo ad rationem est totum ens rationis.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia cum in entibus rationis ponitur idem et diversum secundum rationem, tunc habitudo identitatis esset ad rationem, et sic tunc ens rationis inquantum tale esset omnino idem cum ratione.

Secundo. Quia cum prius et posterius ponantur in entibus rationis, accipiendo istud prius, si esset omnino habitudo ad rationem, tunc in ratione esset posterioritas ei opposita, et sic ratio posterior ente rationis.

Tertio. Quia cum superius et inferius in entibus rationis sint rationis entia accipiendo superioritatem se tota esset ad rationem, tunc ratio esset inferior tali ente.

Quarto. Quia cum causa et effectus in entibus rationis sint rationis entia, tunc causalitas rationis esset totaliter in habitudine ad rationem, et sic ratio esset effectus ipsius.

³ Zdá se, že i zde jde o chybu, zřejmě tu má být „quarto“.

Ideo dico quod si ponantur entia rationis, utputa dextrum et sinistrum in columna, alia est habitudo eorum adinvicem ut dexter ad sinistrum et alia habitudo eorum ad rationem. Unde dextrum respicit rationem sicut causam et sinistrum sicut oppositum non causam, et sic cum quidditas dextri sit ad sinistrum, non poterit quidditative secundum illam habitudinem esse rationis sed denominative et sic cum quidditativum in quolibet praecedat denominativum, prius erit ens non rationis quam rationis.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt communiter quod sicut tota entitas creaturae est in ordine ad Deum, ita tota entitas rationis in ordine ad rationem. Et istud confirmat propositum, quia sicut absolutum creaturae, quod est sua realis entitas, non est habens ordinem ad Deum quidditative sed denominative, pro eo quod respectus non potest esse de quidditate absoluti, ita in proposito.

Et confirmatur. Quia dextrum inquantum dextrum non est nisi ad sinistrum, et inquantum est nota quidditative praescitionis, tum quia sinistrum inquantum sinistrum non est rationis, alioquin ratio esset ad dextrum eius, quod est absurdum.

UNDECIMUS ARTICULUS EST: Si entia rationis sunt entia simpliciter?

Dicunt autem communiter ponentes talia entia quod sic. Quia ens simpliciter dividitur in ens rationis et reale in prima philosophia, et divisum commune invenitur simpliciter in suis inferioribus.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia quibuscumque convenit subiectum simpliciter, eis convenit passio illius subiecti simpliciter, et ideo si entia rationis sunt entia simpliciter, idem et diversum secundum rationem erunt idem et diversum simpliciter, et ita cum attributa ponantur in Deo distincta secundum rationem, erunt distincta simpliciter, quod est falsum, alioquin ista concederetur simpliciter. Divina essentia non est sua voluntas aut bonitas, et eius opposita negaretur simpliciter.

Secundo. Quia cum Deus et creatura conveniant in ente secundum rationem, ut istorum sollertiores concedunt, est ibi unitas rationis, et tamen non dicunt unum simpliciter, et si de Deo et creatura negarent, non possent effugere generis unitatem secundum rationem, et tamen unum genere non ponunt simpliciter unum.

Tertio. Quia quodcumque aliqua propositio est vera simpliciter, opposita eius non videtur posse verificari nisi forte secundum quid, et ideo si propter distinctionem rationis, quam isti ponunt inter essentiam et proprietatem, ista est simpliciter vera. Essentia non est proprietas, ista non poterit verificari nisi secundum quid. Essentia est proprietas et sic ista erunt plus distincta, quam sint idem.

Quarto. Quia ubicumque invenitur aliquid simpliciter, ibi inveniuntur differentiae ipsum concomitantes, sed simplex et compositum sunt

differentiae concomitantes sic ens, et ideo si ens rationis est ens simpliciter, compositio rationis est compositio simpliciter, et cum ipsi ponant compositionem in divina persona ex essentia et relatione secundum rationem, ponerent eam componi simpliciter, quod absit.

Ideo dico quod entia rationis non sunt entia simpliciter, quia omne tale secundum determinationem diminuentem est secundum quid et non simpliciter tale. Ens autem rationis dicitur ens diminutum, et ideo simpliciter non est ens, sicut nec homo mortuus homo.

Sed oritur difficultas. Quia superius invenitur in suis inferioribus simpliciter. Dicitur autem quod illud superius, quod ponitur commune ad ens rationis, non est ens simpliciter. Nec superius nisi secundum nomen, sicut si ens dividatur in prohibitum et non prohibitum.

DUODECIMUS ARTICULUS EST: Si entia rationis mediant inter ens simpliciter et nihil?

Et dicunt quod inter ens reale (simpliciter ens) et nihil reale est dare entia rationis, quia nec sunt entia simpliciter, nec sunt nihil oppositum eis.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia inter contradictoria nullum est medium assignare, ens autem reale et nihil sunt contradictoria, et ideo nullum est dare medium inter ipsa. Minor probatur, quia creatio et annihilatio ponuntur inter terminos contradictorios, et ita ponuntur inter ens reale et nihil sibi oppositum.

Secundo. Quia ens et nihil, quae sunt termini creationis et annihilationis, aut sunt contraria aut contradictoria, aut privativa, aut relative opposita. Et patet quod nullum aliud oppositorum nisi contradictoria per inductionem, et sic omnino universaliter immediata.

Tertio. Quia inter ens et nihil est maxima oppositio, cum in nullo convenient, et se totis opponantur. Maxima autem oppositio est contradictio et accipiuntur ens et nihil secundum rem, quae nihil positivum commune habent.

Quarto. Quia ens simpliciter contradicit non enti simpliciter, cum contradictio sit secundum idem, et ideo cum non ens realiter sit non ens simpliciter, sicut ens reale est ens simpliciter. Sequitur quod ens reale et nihil sibi oppositum reale contradicunt et sic ens rationis non mediat inter ipsa.

Ideo dico quod entia rationis non mediant inter ens simpliciter, quod est reale, et illud nihil, quod directe sibi opponitur, quia non est dare quod non sit ens aut nihil realiter, cum de quolibet esse vel non esse simpliciter, sicut accipit primum principium complexum.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt isti quod licet in re ista, quae dicta sunt, contradicunt et non sit dare medium in re, tamen bene in ratione. Istud tamen non valet, quia illa, quae contradicunt in re, non possunt fieri nisi

contradictoria per actum rationis nostrae, et ideo nec mediata, cum ante rationem sint omnino immediata.

Secunda difficultas. Quia dicunt alii quod non est dare entia rationis sicut media inter ens realiter et nihil, quia sicut ipsa non sunt entia realiter, ita sunt nihil realiter, et tunc habetur intentum, quia cum nihil realiter sit tale cui circumscripto omni opere intellectus, tunc entia rationis erunt talia isto modo.

Sed remanet dubium. Quia dicunt quod licet entia ista rationis sint nihil realiter, tamen sunt entia a ratione. Et istud videtur esse impossibile, quod illud, quod realiter habet esse positivum vel privativum, per actum rationis fiat ens tantum rationis.

TERTIUSDECIMUS ARTICULUS EST: Si per actum rationis nostrae formantis ista entia rationis secundum ponentes ea, possunt verificari illa, quae non sunt in rebus ita simpliciter?

Dicunt autem quod sic. Quia licet homo et humanitas sint idem in re, tamen propter distinctionem, quam facit intellectus noster inter abstractum et concretum, verificatur ista propositio. *Homo non est humanitas.*

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia ubicumque non est entitas simpliciter, ibi non est simpliciter veritas, quae est passio entis. Entia autem rationis, ut patuit, non sunt entia simpliciter. Ergo in eis veritas simpliciter esse non potest.

Secundo. Quia compositio rationis est compositio tantum secundum quid, ut fuit ostensum. Sed veritas consistit in compositione. Ergo veritas secundum rationem non est simpliciter veritas.

Tertio. Quia omnis negatio rationis verificatur secundum distinctionem rationis. Et constat quod talis distinctio est secundum quid, ut patuit supra.

Quarto. Quia omnis affirmatio rationis verificatur secundum identitatem rationis, ista autem identitas est secundum quid, et non simpliciter, ut patuit de identitate generis, et ideo ista non potest simpliciter esse vera. *Homo est asinus per identitatem rationis.* Nec ista. *Deus non est divinitas* propter rationis solam distinctionem secundum viam istorum.

Ideo dico quod nulla verificatio, quae fit per entia tantum rationis, est verificatio simpliciter, quia *ille intellectus* secundum beatum Augustinum, *qui intelligit rem simpliciter aliter quam sit, est falsus.* Sic autem intelligit rem et non secundum quod in se est realiter.

Sed oritur difficultas. Si illa, quae verificantur tantum secundum rationem, sunt simpliciter falsa. Videtur autem quod sic. Quia talia, quae a ratione sola verificantur, non sunt vera ea circumscripta, et sic in re sunt falsa, et ideo, quia talia realiter sunt simpliciter talia, sunt falsa simpliciter. Et confirmatur. Quia omne tale secundum quid est oppositum immediatum simpliciter, sicut homo secundum quid simpliciter est non homo.

Secunda difficultas. Si illa, quae falsificantur secundum rationem tantum, sunt simpliciter vera, et dicitur eisdem rationibus quod sic. Quia falsum secundum quid est verum simpliciter et falsum secundum rationem tantum est verum secundum rem.

Sed remanet dubium. Quia ista verificantur simpliciter. *Homo non est humanitas* per solam rationis distinctionem, et ita falsificatur, *Homo est humanitas* per eiusdem rationis identitatem sublatam.

Dicitur quod illi, qui hoc dicunt, semetipsos illudunt, cum veritas, quae est in re, non possit auferri per rationem, et realis falsitas non possit tolli per nostram considerationem. Unde si nostra consideratio verificaret falsa realiter, nullus homo posset errare, cum talia sint obiective in ratione cuiuslibet, qualia intelligit proprie. Unde in ratione Arrii personae divinae erant essentialiter distinctae, et in ratione Sabellii una tamen persona divina, quia sic in esse intellecto ipsorum.

QUARTUSDECIMUS ARTICULUS EST: Si ista entia rationis verificant (alicuius textus: vilificant) scientiam theologiae?

Dicunt autem quod non, quia minima scire de maximis est perfectissimum, sicut dicitur in prima philosophia de substantiis separatis, et ideo licet fere omnia faciant in theologia secundum rationis ordinem, tamen non putant hanc scientiam ignobilitare.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia veritates particulares ad entia rationis sunt diminutae sicut entitates illae, et ideo qui possunt secundum rationem verificare conclusiones theologicas, faciunt ipsas diminutas.

Secundo. Quia omnia vera secundum rationem, ut patuit, sunt vera tantum secundum quid, ut fuit ostensum, et omne tale secundum quid est imperfectum tale.

Tertio. Quia omne verum secundum quid est simpliciter falsum, sicut falsum secundum quid est simpliciter verum, et ideo facientes veritates theologicas veras tantum secundum rationem faciunt illas simpliciter falsas.

Quarto. Quia omne ens reale est perfectius quocumque ente rationis, ex illa entis famosa divisione, sicut omnis substantia perfectior est accidente quocumque, quia sub perfectiori entis differentia contenta. Et ideo si conclusiones theologicae verificantur secundum rationem, et physicae secundum rem, nobiliores erunt istae conclusiones, et per consequens scientia.

Ideo dico quod illi, qui veritates theologicas intelligunt secundum rationes tantum verificari, multum faciunt theologiam diminutae perfectionis, sicut illae veritates multum sunt diminutae, sicut cum quaeritur, utrum essentialia in divinis praecedant personalia, sicut determinat beatus Dionysius in capitulo De Unica et discreta theologia. Illi, qui istam veritatem exponunt secundum nostram rationem, vilificant eam

plus quam illam, quae demonstratur in geometria, quod triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis, cum istud sit verum in re, et ideo istud est melius scire, quam quod essentialia praevenerint personalia in ratione nostra.

Sed oritur difficultas. Quia licet tales veritates, quae sunt de ordine divinarum, ponantur ab istis secundum rationem, tamen principales sunt de esse, ut quod Deus est Aeternus, Trinus et Unus. Aut intelligunt idem in re, quod Deus est Deus, et istud intelligit ita bene philosophus. Aut non idem in re, et tunc habetur propositum, aut distinctum tantum ratione. Et sic illud, quod novit theologus supra philosophum, est rationis tantum.

Secunda difficultas. Quia cum in theologia per unum attributum demonstratur aliud, ut per causalitatem infinitas, per infinitatem incomprehensibilitas, aut addiscitur aliquid, quod ignorabatur in re vel in ratione. Si in re, habetur intentum. Si non, aquiritur notitia nisi in ratione, quod est curandum de tali notitia.

Tertia difficultas. Quomodo veritates possunt esse necessariae, cum dependeant a ratione. Dicitur autem quod cum nullum necessarium possit dependere a contingente, nullatenus apparet, quomodo de entibus rationis possit esse scientia, quae nullatenus possit esse de contingentibus.

Quarta difficultas. Quia dicunt aliqui quod ista necessitas scientiae, qua assumitur, quo ad entia rationis non sumitur ex hoc, quod sic actu concipiuntur, sed ex hoc, quod sic nata sunt concipi, et istud est necessarium. Dicitur autem quod istud non valet, quia talis aptitudo ad sic concipi non est a ratione, sed in re, et istud pertinet ad realia entia.

QUINTUSDECIMUS ARTICULUS EST: Si passiones entis rationis possunt inveniri in rebus sicut idem et diversum aut prius et posterius, ponuntur passiones entis disiunctae?

Et ponuntur hic quattuor conclusiones.

Prima est quod identitas rationis non potest inveniri in entibus realibus, ut sint idem realiter, quia nulla passio excedit suum subiectum, cum convertatur cum ipso. Identitas autem rationis est prima passio entis rationis, et ideo non potest convenire nisi enti rationis.

Secunda conclusio quod distinctio rationis in entibus realibus esse non potest, quia sicut distinctio realis est adaequata enti reali, ita rationis distinctio enti rationis. Et ideo sicut distinctio realis repugnat enti rationis, ita videtur repugnare distinctio rationis enti reali eadem ratione.

Tertia conclusio quod prioritas rationis non potest esse in realibus entibus, quia sicut prius esse praesupponit esse, ita prius esse tale praesupponit esse tale, quemadmodum prius esse secundum naturam esse secundum naturam et prius esse durationae esse secundum durationem, et ideo prius esse secundum rationem esse secundum rationem.

Quarta conclusio quod posterioritas rationis non potest esse in entibus realibus, quia omnis ordo in aliquo praesupponit esse in illo, et ideo ordo in ratione esse rationis in ordinatis, entia autem realia esse non possunt non realia.

Dicunt tamen aliqui quod idem aut diversum aut prius et posterius non sunt passionis entis rationis, cum summitur secundum rationem, immo sunt ipsa entia rationis.

Istud tamen dictum non est apparens. Tum quia licet idem et diversum in re sint entia realia, propter hoc non negatur, quin sint passionis entis rationis, cum sumantur secundum rationem, immo ipsa sunt entia rationis, et ita licet idem et diversum in ratione sint entia rationis, non debet tamen negari, quin sint entis rationis passionis. Tum quia sicut de entibus realibus demonstrantur propter quid idem et diversum, ita de entibus rationis idem et diversum secundum rationem et demonstratur propter quid sicut propria passio.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod quando aliquid est passio alicuius adaequata, potest convenire alicui alteri subiecto, si in eo sit suum subiectum, sicut passio accidentis non solum est in accidente, sed est in substantia, cui inest accidens. Istud tamen non valet, quia licet in esse, quod est passio accidentis, sit in substantia, tamen repugnat substantiae, quod insit. Et ita licet distinctio rationis esset in ente reali, tamen repugnaret sibi distingui per ipsam. Et si dicatur quod disgregativum est passio coloris, et tamen corpus disgregat, quod est coloris subiectum, et ita in proposito. Istud non facit ad propositum sicut corporis passio. Omnis autem passio distinguit in quantum est passio distinctorum, ut patet. Sicut unitas dat esse unum in quantum est passio eorum, quae sunt unum.

Secunda difficultas. Quia dicunt aliqui quod distinctio rationis non est ita adaequata passio entis rationis sicut distinctio realis entis realis et ideo licet illa conveniat soli enti reali, ista convenit tam enti reali quam rationis, ut sit passio adaequata enti reali, quod dividitur in reale et rationis.

Dicitur autem quod istud dictum dupliciter peccat.

Primo. Quia sicut ens dividitur in rationis et reale, ita et distinctio per distinctionem realem et rationis. Et ideo communior est distinctio divisa quam distinctio rationis, et tunc probatur demonstrative, quod distinctio in communi se habeat in plus quam ens in communi, quia cuiuscumque inferius est passio adaequata eius superius non potest esse adaequatum, immo in plus, sed distinctio rationis, ut ponunt, est adaequata enti in communi, ergo distinctio in communi in plus se habet.

Secundo peccat, quia ponit distinctionem rationis esse passionem entis realis, cum ei conveniat per accidens et contingenter, si convenit, cum accidat intelligi ei.

SEXTUSDECIMUS ARTICULUS EST: Si entia rationis sunt in aliquo praedicamento?

Dicunt autem quod sic et istud ponunt in quadruplici genere.

Primo quidem in genere quantitatis discretæ, quia numerum ponunt in anima tantum.

Secundo in genere quantitatis continuæ, quia tempus quantum ad suum formale ponunt in anima tantum, et quantum ad suum formale unaquæque quidditas ponitur in prædicamento.

Tertio in genere relationis, quia omnia relativa secundum dici ponuntur a nonnullis secundum rationem, ut relatio scibilis ad scientiam.

Quarto in genere quando, quia cum quando sit respectus ad tempus et tempus sit formaliter in anima, respectus ad ipsum non potest esse in rerum natura.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia secundum istos ens prima sui divisione dividitur in ens in anima et extra animam, et ens extra animam dividitur in decem prædicamenta, et sic decem prædicamenta cadunt sub ente reali. Sed quidquid cadit quidditative sub inferiori, cadit quidditative sub superiori per illam regulam *quando alterum de altero*. Ergo omnia genera et species sub decem prædicamentis contenta sunt realia.

Secundo. Quia prædicamentum quantitatis secundum suam rationem aut est ens rationis aut reale. Si rationis, nulla eius species erit realis aut individuum, cum ens rationis non sit de quidditate entis realis. Si est reale, ratio eius communis erit realis, et sic nullum individuum sub ipso contentum erit rationis, cum ens reale non sit de quidditate entis rationis.

Tertio. Quia si prædicamentum relationis est reale, nullum sub eo quidditative contentum erit rationis. Aut si ipsum prædicamentum est rationis, nullum sub ipso contentum erit reale, sicut supra.

Quarto. Quia si *quando* esset in anima tantum ens rationis, tunc non esset accidens, cum ens reale dividatur in substantiam et accidens, sicut in decem prædicamenta

Ideo dico quod illi, qui ponunt entia rationis, non debent ipsa ponere in aliquo genere, cum omnia genera sub ente extra animam sint contenta. Nec per consequens esse substantiam aut accidens, et ideo videntur esse ut entia prohibita, quorum nulla diffinitio potest dari.

Sed oritur difficultas. Quia respectibus rationis convenit tota diffinitio relationis, quæ est esse ad aliud, cum sint ad aliud diffinitive, et sic sunt in illo prædicamento. Dicitur autem, quod non convenit eis illa diffinitio nisi secundum quid, sicut homo mortuus, uti est homo, est animal rationale secundum quid.

Secunda difficultas. Quia secundum præmissa oportet tenere, quod omnia universalia, quæ sunt genera aut species, sunt realia, cum cadant sub ente reali secundum quod communia sunt. Dicitur autem quod istud sequitur ex præmissis et per consequens quod unitas omnium talium est realis sicut entitas.

DECIMUSSEPTIMUS ARTICULUS EST: Si de entibus rationis potest esse scientia?

Et ponuntur hic quattuor praeambula.

Primum est quod nulla propositio affirmativa secundum rationem potest esse vera, quia nulla affirmatio verificatur nisi per identitatem subiecti et praedicati, cum dicitur *hoc est hoc*. Sed in omni complexione affirmativa subiectum et praedicatum distinguuntur secundum rationem, inquantum hoc est subiectum et illud praedicatum. Ergo ut sic propositio vera esse non potest affirmativa, quia prout aliqua distinguuntur secundum rationem, unum non est aliud secundum rationem. Termini autem prout ponuntur in complexione distinguuntur secundum rationem.

Secundum praeambulum, quod nulla necessaria propositio secundum rationem potest esse falsa, quia sicut affirmatio verificatur per identitatem, ita negatio per distinctionem. Sed non possunt inveniri termini, qui non distinguuntur secundum rationem inquantum sunt cuiuslibet complexionis, cum alia sit distinctio subiecti et alia praedicati, ut talia sunt. Ergo nulla talis complexio potest esse falsa.

Tertium praeambulum, quod ex falsis propositionibus affirmativis non potest sequi conclusio scientifica, quae deducitur per demonstrationem, quia demonstratio est ex veris.

Quartum praeambulum, quod ex veris negativis non potest sequi conclusio scientifica, quia ex puris negativis nihil sequitur in aliqua figura.

Istis autem praemissis praeambulis manifestum est, quod de entibus rationis non potest esse scientia.

Et confirmatur istud quadruplici via.

Primo. Quia veritas scientifica est veritas simpliciter, cum sit evidens, et evidens falsum esse non possit simpliciter. Illud vero, quod est verum secundum quid, oportet ut sit falsum simpliciter, et veritas rationis non potest esse simpliciter veritas, sicut nec entitas eius.

Secundo. Quia ubi non possunt esse per se nota, ibi non potest esse vera scientia, cum demonstratio scientifica procedat ex per se notis. Nulla autem veritas rationis potest esse per se nota, cum notitiam suam et evidentiam accipiat a ratione, et ideo ab alio nota.

Tertio. Quia nullum necessarium potest dependere a contingente. Actus autem nostrae rationis est contingens et omnis veritas scientifica est necessaria. Et confirmatur. Quia omnia entia rationis sunt per accidens, cum possint non inesse amota ratione, ex talibus autem nunquam sit scientia, quae est ex per se.

Quarto. Quia ista scientia, qua ponitur de entibus rationis, est realis scientia et per ipsam realiter sciuntur talia entia et non possunt realiter sciri, nisi prout scientia refertur ad scibile. Ergo si realiter sciuntur, realiter

refertur ad ipsa scientia, et tamen relatio realis non potest esse ad entia rationis.

Sed oritur difficultas. Quia frustra disputamus de entibus rationis, si non possumus devenire ad eorum scientiam, et frustra de ipsis tractamus. Dicitur autem quod sicut contingit tractare de entibus prohibitis aut de nullo aut de homine irrationali, cum tamen de istis nulla potest esse scientia, ita forte de entibus rationis in habitudine ad realia, nisi forte dicatur quod talis tractatus est frustra.

Secunda difficultas. Quia licet veritates entium rationis de facto sint a ratione, tamen ante rationem sunt in potentia. Et secundum hoc esse incommutabiliter, habent esse necessario. Istud tamen non facit ad propositum. Quia si tale esse habent in potentia, illud ab anima non est fabricatum, et sic est reale.

Tertia difficultas. Quia secundum istum modum videntur esse evacuatae scientiae rationales, prout distinguuntur contra reales. Dicitur quod illae dicuntur rationales, quae sunt de actibus rationis realibus, non de figmentis sicut in logica.

DECIMUSOCTAVUS ARTICULUS EST: Si ista entia rationis producuntur a voluntate divina?

Et dicunt aliqui quod sic. Quia ipsa concurrat ad actionem cuiuscumque causae efficientis secundae, et ideo ratio nostra non potest causare effective ista entia nisi concurrente voluntate divina. Et confirmatur istud dictum. Tum quia nullum ens creatum potest agere independenter ad primum, sicut nec esse, et istud concludit, quo ad entia rationis sicut ad realia. Tum quia quicquid continetur virtualiter in creatura, continetur in Deo virtualiter, in quo virtualiter continetur omnis potentialis creatura.

Secundo dicunt alii quod talia entia non possunt causari a divina voluntate, quia omne causatum a divina voluntate est creatum, et talia entia non sunt creata. Et confirmatur. Tum quia quicquod Deus facit, cum causa secunda facit praeveniando ipsam, cum causalitas divina sit prior sicut universalior, et sic eius creatio praeveniens nostram rationem esset realis, et per consequens terminus realis. Tum quia quicquod potest Deus facere mediante causa secunda effective, potest immediate sine ea, et sic faceret entia rationis nostrae sine ipsa ratione.

Ideo dico quod si entia rationis ponantur produci a divina voluntate concurrente cum qualibet causa secunda, non videtur quare non sint realia et a Deo creata. Si vero ponantur produci a sola ratione nullo alio concurrente, tunc oportet dicere quod aliqua unitas realis in anima est, quae potest aliquo modo agere sine voluntate divina, immo non potest agere concurrente ipsa, immo necessario aget ipsa a se, quae videntur omnia inconvenientia. Et ideo universaliter entia rationis esse prohibita, quia a Deo non producibilia, cuius sunt extra actiones realissimae.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod licet Deus concurrat omni actioni reali creaturae aut possit quantumcumque effectum realem per se, tamen hoc non est necessarium in entibus rationis, quia sunt entia diminuta et imperfecta. Istud tamen non valet, quia producere imperfecta nullam dicit producentis perfectionem, et ideo Deus ponitur causa efficiens in quabuscumque perfectior. Et iterum. Si potentia productiva entium rationis non est subordinata divinae, sicut productiva entium realium, est magis independens et plus perfecta, nec etiam poterit impediri a voluntate divina, quae videntur inconvenientia.

DECIMUSNONUS ARTICULUS EST: Si ad divinum intellectum pertinet fabricare entia rationis sicut ad nostrum?

Et dicunt aliqui quod sic. Quia non est minus efficax intellectus divinus ad negotiandum circa suum subiectum quam intellectus noster, qui ex tali negotiatione format entia rationis.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia ista negotiatio intellectus nostri non sit, nisi quia intellectus humanus non potest capere rem omnino sicut est in se. Intellectus autem divinus non habet istum defectum et ideo frustra fingeret entia talia.

Secundo. Quia ille intellectus, qui intelligit obiectum perfectissime, ut est in se tantum, non fingit circa suum obiectum entia rationis, cum illa non convenient obiecto, ut est in se. Sed intellectus divinus intelligit perfectissime obiectum suum ut est in se, cum iste sit modus verissimus intelligendi. Ergo non facit talia figmenta.

Tertio. Quia quicquid Deus cognoscit, verissime cognoscit, sed veritas rationis non est simpliciter veritas, ut fuit ostensum. Ergo non cognoscit aliqua cum veritatibus rationis.

Quarto. Quia notitia intuitiva non est fictiva entium rationis, cum sit existentis, ut existens est, sed sola abstractiva. Notitia autem divina, quae unica est, non est abstractiva sed intuitiva, ut communiter conceditur, et ideo non est talium entium fictiva.

Ideo dicunt communiter doctores moderni quod divinus intellectus non format entia rationis, quia *Deus una simplici et aeterna visione cuncta complectitur* secundum beatum Augustinum 25 De Trinitate. Et notitia visiva non est fictiva talium entium.

Sed oritur difficultas. Quia intellectus divinus intelligit entia prohibita, quae non videntur entia nisi secundum rationem. Dicitur autem quod entia prohibita non sunt prohibita secundum rationem, alioquin in re non essent prohibita, et sic producibilia.

Secunda difficultas. Quia divinus intellectus videtur intelligere entia rationis, cum intelligat omnia a nobis intelligibilia. Dicitur autem quod divinus intellectus dicitur omnia intuitive cognoscere, quae cognoscit, et

ideo si entia rationis non sunt intuibilia, ut nonnulli putant, videntur ignota Deo, et talia non sunt ponenda.

VIGESIMUS ARTICULUS EST: Si entia rationis sunt formaliter in Deo?

Et dicit vulgus theologorum quod sic, quia multa verificantur de Deo, quae non possunt salvari nisi secundum entia rationis, sicut cum dicitur *creator* aut *dominus*, quae sibi ex tempore conveniunt, cum tamen ex tempore nihil Deo realiter possit convenire.

Sed contra istud arguitur quadrupliciter.

Primo. Quia quicquid est in Deo formaliter, est formaliter Deus, cum simplex sit quicquod habet, ut habetur 11. De Civitate Dei. Entia autem rationis non sunt Deus, ergo non sunt in Deo formaliter, alioquin per ipsa Deus est formaliter imperfectus.

Secundo. Ens rationis cum sit ens diminutum includens formaliter imperfectionem, cum sit ens imperfectissimum. Ergo non potest esse in Deo formaliter.

Tertio. Quia quicquid est in Deo, est summe necessarium esse, alioquin contingeret ipsum variari, si aliquid in eo esset contingens, entia autem rationis sunt summe contingentia sicut summe dependentia, ergo non possunt inveniri in Deo.

Quarto. Si entia rationis in Deo formaliter reciperentur, tunc Deus per eorum receptionem formaliter mutaretur, eo quod se haberet formaliter aliter nunc et prius, et sic Deus esset mutabilis.

Ideo dico quod entia rationis non sunt formaliter in Deo, quia tunc Deus esset in potentia receptiva respectu ipsorum, cum esset aptus natus ea recipere, et ista naturalis aptitudo sibi inesset realiter, et sic non esset purus actus.

Sed oritur difficultas. Quia dicunt aliqui quod entia ista rationis non sunt in Deo formaliter neque secundum rem, sed secundum nostri intellectus attributionem. Et istud non valet, quia sicut imperfectius est esse secundum rationem quam secundum rem, ita imperfectior modus essendi est per attributionem intellectus nostri quam formaliter secundum rem.

Secunda difficultas. Quia dicunt aliqui quod ista entia rationis non sunt in Deo, ut habent esse in se, sed ut habent obiective esse in nostra mente. Istud tamen non valet, quia Deus, ut habet esse obiective in nostra mente, aut est aliquid creatum aut increatum. Si creatum non facit ad istud argumentum. Si increatum, habetur intentum.

Dico autem ad questionem quod quia entia rationis ponantur communiter ab omnibus doctoribus non sunt neganda, nisi forte gratia disputationis, ut ex praecedentibus articulis exercitium habeatur. Et tunc ad exercitandum intellectum dimittendae sunt rationes utriusque partis factae in principio.

SEPTIMA QUAESTIO - UTRUM ENTIA RATIONIS SINT NECESSARIA.

Et videtur quod non, quia *in paucioribus via magis* secundum regulam philosophorum, illi autem, qui ponunt omnia secundum identitatem, non se arcent ad pauciora, cum se extendant ad realia faciendo illa, quae alii faciunt secundum rationem.

Sed contra. Quia plura ponit ille, qui ponit entia realia et rationis, quam ille, qui ponit entia realia tantum, sicut plura ponuntur cum ponitur substantia et accidens, quam cum ponitur substantia tantum, et ideo negantes entia rationis ponunt pauciora.

Circa istam quaestionem:

Quia entia rationis videntur esse nimis divulgata in theologia intendo ad oppositum, ut perveniatur ad medium (ut faciunt tortuosa lignorum rectificantes), videndum est, si possunt salvari secundum rem illa, quae fingunt salvari secundum rationem, ut sic nobilitetur scientia per veritates reales, quae sunt veritates tantum secundum quid, et ad istum processum declarandum occurrunt aliqua puncta.

Quorum PRIMUS EST de universalibus.

Quia universalialia sunt, quae sunt apta nata in pluribus esse. Nulla autem res una creata est apta nata esse in pluribus, cum istud sit proprium divinae naturae esse in pluribus suppositis, ratione suae illimitationis, et ideo cum tale unum non possit poni in re, oportet ut ponatur in ratione. Et ad istum punctum ponuntur duae conclusiones.

Prima est, quod universalialia singularium realium non possunt esse rationis. Tum quia nullum ens rationis potest esse de quidditate entis realis, species autem aut est de quidditate individui aut dicit totam eius quidditatem. Tum quia quando alterum de altero praedicatur et de subiecto. Et ideo si ens rationis est superius ad talia universalialia, singularia sub talibus universalibus contenta erunt entia rationis.

Secunda conclusio: quod universalialia talia sunt entia realia, et ista sequitur ex alia, cum ens reale et rationis ponantur immediate. Et confirmatur. Tum quia quando ens dividitur in ens reale et rationis, ens reale subdividitur in decem praedicamenta, et sic est commune ad ipsa, et constat quod ipsa sunt universalialia. Tum quia praedicatio superiorum de inferioribus est necessaria, cum sit quidditativa, nullum autem necessarium potest esse ab anima.

Ista autem ambo confirmantur. Tum quia intellectus noster non potest intelligere singularia in quantum sunt singularia, secundum communia dicta, et tamen absurdum est quod non intelligat nisi entia rationis. Tum quia

omnis scientia est de universali et inconveniens est, quod omnis scientia sit de entibus rationis.

Sed oritur difficultas. Quia tunc una natura creata erit illimitata in re ad infinita individua, sicut natura divina ad tres personas. Et dicitur quod non, quia divina natura una numero est in illis, et nulla creata natura nisi una secundum speciem aut genus, quae est unitas minor.

Secunda difficultas. Quia licet istud forte sit tolerabile in universalibus specierum et generum, tamen in ente, quod est commune Deo et creaturae, videtur intolerabile, tunc potest poni ens pure aequivocum ad Deum et ad creaturam sicut ad ens reale et rationis.

Sed remanet dubium: quid dicit universale secundum quod universale in rerum natura. Dicitur autem quod sicut divina natura est communicabilis una numero tribus personis, ita natura creata una specie vel genere. Et ista communicabilitas est eius universalitas, quae dicit realem aptitudinem ad alia, quibus communicatur.

SECUNDUM PUNCTUM EST de secundis intentionibus.

Quia licet forte non videatur aliquibus absurdum quod universalialia, ut significantur nominibus primarum intentionum, sint⁴ in rebus, tamen ut importantur nominibus secundarum intentionum videtur esse absurdum, cum secundae intentiones sint rationes rationis, sicut primae dicunt esse entia rationis.

Intelligendum tamen est quod intentio accipitur dupliciter, aut pro ipsa operatione intendente, et sic est actus rationis secundus, aut pro ipso obiecto a tali operatione intento. Si primo modo accipitur, sic est ens praedicabile, quia est sicut actus intelligendi, qui est realis forma. Si secundo modo pro eo, quod est obiectum, tunc dico quod est reale, quia sicut homo et animal sunt in rerum natura communia, ut patuit, ita sunt genus et species, quae dicuntur secundae intentiones, quia ista dicuntur universalialia, quia sunt apta nata in pluribus esse, sunt autem in pluribus realiter, ut supponitur ex praecedenti puncto. Ergo sunt universalialia in re, et tamen universale est secunda intentio, cum sit superius ad genus et speciem.

Sed oritur difficultas. Quidam dicunt in re. Istae secundae intentiones generis, quia est communicabilis pluribus speciebus, sicut natura divina eadem numero pluribus personis. Et ideo natura hominis dicitur habere rationem speciei, quia in re est communicabilis pluribus individuis tantum, communitas enim dicitur a communicabilitate, et rationes generis et speciei sunt rationes quarundam communitatum.

Secunda difficultas. Quidam dicunt istae communitates aut communicabilitates fundatae in talibus naturis. Dicunt autem quod sicut divisibilitas dicit naturalem aptitudinem ad actum dividendi, ita

⁴ Ve zdroji bylo „sicut“.

communicabilitas ad actum communicandi, tales autem aptitudines sunt per se passiones et respectus fundamentales, ut alibi fuit ostensum.

Tertia difficultas. Quia cum passio superioris inveniatur in quolibet eius inferiori sicut ipsum superius, tunc talis communitas, quae inest per se generi, inest speciei, et communitas speciei individuo. Dicitur autem quod sicut in individuo est natura speciei tota, ita est ibi communicabilitas illius naturae, ut privet proprietatem individualemente natura in individuo. Prout autem accipitur natura cum haecceitate, tunc est hoc natura, et sic non est totum hoc communicabile ratione haecceitatis.

Quarta difficultas. Quia in definitionibus generis et speciei, ut sunt secundae intentiones, ponitur ens rationis scilicet actus praedicandi, cum utrumque dicatur, quod praedicatur de pluribus. Dicitur autem quod praedicari accipitur dupliciter. Uno modo pro habitudine subiecti ad praedicatum, quam denotat complexio, ut cum dicitur *homo est animal*, et ista habitudo est realis, quia unus istorum terminorum est idem realiter cum alio, aut pro comparatione, quae sit unius ad alterum apud intellectum, et tunc ista comparatio est realis, cum sit realis consideratio.

TERTIUM PUNCTUM EST de relationibus...

...quae quidem relationes, licet sint in quibusdam corporibus secundum rem, tamen attribuuntur quibusdam aliis, quibus non possunt inesse nisi secundum rationem, sicut declaratur in exemplo quadruplici.

Primum est, quod licet sursum et deorsum non sint realiter nisi in corporibus, tamen in anima nostra ponitur portio superior et inferior.

Secundum est, quod licet interius et exterius non sint realiter nisi in corporibus, tamen quo ad animam ponitur homo interior et exterior secundum nostram rationem, et istud ponit Apostolus sicut primum posuit Augustinus.

Tertium est, quia licet dextrum et sinistrum sint realiter tantum in corporibus animatis, tamen ratio nostra quandoque attribuit inanimatis, ut patet, cum dicuntur in columna.

Quartum est, quod licet dextrum et sinistrum forte realiter essent in quibusdam corporibus, tamen spiritualibus non possunt attribui nisi secundum rationem, et tamen divina scriptura attribuit Deo dextrum et sinistrum loquente parte ad filium in psalmo *sede a dextris meis*.

Probo autem quod omnia ista verificantur secundum rem, quia cum in anima ponitur portio superior et inferior, hoc accipitur superius et inferius, non localiter sicut in corporibus, sed perfectionaliter, et isto modo dicitur quod realiter portio superior est de perfectioribus obiectis.

Secundo. Interius et exterius accipiuntur transumptive et istam transumptionem facit realiter nostra ratio et voluntas, et secundum hanc transumptionem iste dicitur homo interior, quia respicit spiritualiter realiter spiritualia, ille exterior, qui realiter respicit temporalia.

Tertio. Dextrum et sinistrum in columna possunt poni realiter duobus modis aut quod dextrum et sinistrum de columna dicantur denominative denominatione extrinseca accepta a dextro et sinistro, quod est realiter in animali sicut actio dicitur realiter humana, quia est ab homine, aut quia ponuntur duo respectus in columna reales. Unus ad dextram animalis et alter ad sinistram, et secundum analogiam realem respectus ad dextram animalis dicatur columnae dextrum et respectus ad sinistram dicatur sinistrum eius.

Quarto. Dextrum et sinistrum ponuntur realiter circa Deum, quamvis mataphorice et aequivoce, quia ibi accipitur dextra pro potioribus bonis. Constat autem quod filius realiter existit in bonis potioribus.

QUARTUM PUNCTUM EST de complexionibus,...

...quae fiunt per actum componendi et dividendi, quia istae non sunt in rerum natura, et sic pertinere videntur ad entia rationis.

Intelligendum est tamen quod istae complexiones possunt accipi dupliciter. Aut subiective, et sic habent esse in anima nostra realiter. Sicut reales actus intelligendi, cum compositio et divisio pertineant ad secundum actum rationis. Aut accipiuntur obiective et sic sunt in re extra, ubi sunt earum termini et habitudines, quae designantur per ipsas compositiones, et sic possunt distingui dupliciter. Primo actu rationis, qui est simplex apprehensio, et secundo qui est actus discursivus.

Sed oritur difficultas. Quia in praedicatione, in qua idem praedicatur de seipso, subiectum et praedicatum distinguuntur aliquo modo, alioquin nulla esset inter ipsa compositio, et tamen non distinguuntur realiter, et per consequens secundum rationem. Dicitur autem, quod quando formatur talis complexio, tunc sicut isti duo termini sunt distincti in numero voce, ita in imaginatione figurantur duo termini, et ista sunt semper realiter distincta, tamen apud rationem non respondet nisi unus terminus isti complexioni, et in re eodem modo. Et ideo istud declaratur, quia cum quaeritur de propositione immediata, quare homo est animal rationale, solet responderi, quia homo est homo, et tamen constat quod propositio immediata non resolvitur nisi in terminos. Unde si apud rationem essent duo termini, tunc secundum rationem non esset eiusdem omnino de seipso.

Secunda difficultas. Si omnis propositio, in qua idem de seipso praedicatur, ut cum dicitur *homo est homo*, omnis alia habet distinctum subiectum et praedicato. Dicitur autem quod sic, nisi sint nomina synonyma, ut cum dicitur *Theos est Deus*, quia compositio in ratione non esset vera, nisi responderet ei compositio in re, et sic dicitur quod imaginatio est falsa, cum format compositionem, cui non respondet compositio in re. Dicitur quod sicut non dicitur falsa, cum imaginatur Deum cum lineamentis corporis aut si tunc et nunc simili modo.

Tertia difficultas. Quia propositiones falsae nullum habent obiectum sibi respondens in re, et ideo videtur quod solum recipiant obiectum in ratione. Dicitur autem quod propositio falsa est realiter per difformitatem ad obiectum, et istam difformitatem realiter habet, ut cum dicitur *homo est asinus*, et ideo est bona, et licet non habet obiectum in re quantum ad compositionem extremorum, tamen bene quantum ad ipsa extrema. Et si dicatur quomodo intentio talis habitudinis potest esse sine obiecto. Dicitur quod eo modo, quo intelliguntur entia prohibita.

Quarta difficultas. Quia licet compositionis et divisionis actus habeat aliquid sibi correspondens in re, puta habitudinem talium terminorum et connexionem et diversitatem in negativis, tamen tertius actus rationis, qui est discursivus a magis notis ad minus nota, non videtur ibi habere aliquid correspondens. Dicitur autem quod sicut terminorum habitudo in re respondet compositioni et divisioni, ita ordo istorum habituum compositioni et divisioni.

Sed remanet dubium. Quia si complexioni in ratione respondet semper compositio in re partium habentium invicem habitudinem, tunc quando formabuntur propositiones de simpliciter simplici vel de Deo, erit ibi compositio. Dicitur autem quod licet interius in actibus intelligendi semper sit compositio moventis, tamen istius compositionis sufficit terminorum invicem habitudo, quae abstrahit ab omni compositione, ut alibi patet.

QUINTUM PUNCTUM EST de privationibus et negationibus,...

quae, quia non sunt entia realia, cum aliquo modo existant, videntur tantum entia rationis. Et quantum ad istud punctum ponuntur duae conclusiones.

Prima est. Quia privationes non sunt entia rationis, utputa caecitas, quia si homo esset caecus per rationem circumscripto actu rationis fieret videns. Et confirmatur. Tum quia oppositio privatorum est realis oppositio. Tum quia mutatio realis est inter reales terminos, forma autem et privatio sunt primo termini realis mutationis. Tum quia secundum peripatheticos privatio est unum de tribus primis principiis naturae, quod non potest convenire entibus rationis.

Secunda conclusio. Quod negationes non sunt entia rationis, utpote nihilitas pura, quia si nihil esset per actum intellectus nostri, eo circumscripto non esset nihil. Et tunc aliquid, et sic ab aeterno ante omnem actum nostrae rationis omne creatum est aliquid, et sic sola entis rationis ablatione fieret rerum creatio.

Et confirmatur. Tum quia creatio, qua est de annihilato, habet terminos non fabricatos ab anima. Tum quia annihilatio non fit ab anima, et tamen per annihilationem deducitur ens ad nihilitatem. Tum quia contradictio est realis oppositio, et tamen negatio est eius alterum extremum.

Sed oritur difficultas. Quia sicut affirmare est actus rationis, ita et negare, cum negare pertineat ad intellectum. Dicitur quod affirmatio et negatio accipi possunt duobus modis, aut pro actu affirmativo et negativo, et sic sunt reales actus intelligendi, sicut in voce actus loquendi, aut pro obiecto affirmationis talis et negationis, et sic est in re affirmatio, et suo modo essendi negatio.

Secunda difficultas. Quia privationes et negationes non sunt entia realia, cum ens reale sit positivum. Et ista distinguuntur contra positiva, et per consequens sunt entia rationis. Dicitur autem quod non sunt entia rationis nec realia entis privationes, eo quod entibus in re opponuntur.

Tertia difficultas. Quia non videtur, quod talia sint intelligibilia, cum non sint aliquo modo entia, cum ens ponatur adaequatum nostri intellectus obiectum. Dicitur autem quod istud est intelligendum de intelligibilibus per se. Ista autem per se non intelliguntur, sed in analogia ad positiva.

Quarta difficultas. Quia cum oppositio sit respectus, non videtur in contradictione, quoniam affirmationi opponitur negatio, cum ad nihil non possit esse respectus, qui ex sua ratione dicit esse ad aliquid, et non ad nihil, et iterum oppositio negationis ad affirmationem oportet, ut sit in nihilo, sicut in infinito, et ideo quidam Sollertissimus doctor ponit ipsum tunc aliquo modo realem.

SEXTUM PUNCTUM EST de entibus possibilibus.

Quia omniaabilia possunt intelligi et esse in intellectu, et tamen non videntur esse entia realia, cum non sint in rerum natura, ut dum sunt in potentia obiectiva, et ideo videntur entia rationis. Et quantum ad istud punctum ponuntur quattuor conclusiones.

Prima est, quod ens dicitur secundum eandem rationem formalem de ente in potentia obiectiva et in actuali existentia, quia actus et potentia non diversificant essentiam. Et confirmatur, quia dicunt artistae quod *actus non largitur multitudinem sed perfectionem.* Tum quia dicunt quod in eodem genere est quidditas in actu et in potentia, et per consequens eadem diffinitio utrobique.

Secunda conclusio, quod istud ens, quod sic dividitur in potentiam et actum, non potest esse ens rationis, quia tunc entia tam in actu quam in potentia essent entia rationis, cum superius de suo inferiori quidditative dicatur.

Tertia conclusio est, quod istud ens commune est ens reale, accipiendo reale pro omni non fabricato ab anima, quia non est dare medium inter ens fabricatum ab anima et non fabricatum, per contradictionis extrema.

Quarta conclusio quod entia in potentia obiectiva, quae dicuntur entia non prohibita, non sunt entia rationis, quia ens commune, quod in eis includitur, ut patet in praecedentibus, est reale. Et confirmatur ista

conclusio, quia si entia non prohibita essent talia per actum nostrae rationis, circumscripto tali actu fierent prohibita, et sic essent impossibilia.

Sed oritur difficultas. Quomodo possunt ista entia esse realia, cum non sint existentia, et realitas et existentia videantur adaequata secundum principia nostra. Dicitur quod accipitur hoc realitas stricte pro modo intrinseco, sed non pro fabricato ab anima quoque in communi.

SEPTIMUM PUNCTUM EST de entibus prohibitis,...

...quae dicuntur esse impossibilia, sicut dicitur esse chimera, et ista, cum intelliguntur a nobis, videntur esse entia rationis, cum non sint entia realia, et quantum ad istud punctum ponuntur hic quattuor conclusiones.

Prima est, quod istud ens, quod dividitur in prohibitum et non prohibitum, non est rationis, quia ista est divisio solius vocis in significata, ut alibi fuit ostensum, et tamen vox non est aliquid rationis.

Secunda conclusio, quod illud divisum est quid reale, quia vox est quid reale.

Tertia conclusio, quod entia prohibita non sunt talia per rationem, quia si essent prohibita per actum nostrae rationis, tali actu sublato fierent non prohibita, et sic possibilia, cum amota causa amoveatur effectus.

Quarta conclusio, quod entia prohibita sunt talia in re, quia sicut homo est realiter producibilis, ita chimera est realiter impossibilis. Et confirmatur. Quia omne tale aut est tale secundum rem, aut secundum rationem, ut patuit, ens istud non est prohibitum secundum rationem, et ideo sequitur quod secundum rem.

Sed oritur difficultas. Quomodo entia prohibita possunt dicere aliquam realitatem, cum non sint in aliquo praedicamento, quando ens reale dividitur in decem praedicamenta. Dicitur autem quod non sunt realia positive, sicut sunt possibilia, quae ponuntur in genere. Sed sunt ipsum nihil privative, quia ens prohibitum non dicit nisi partium incompossibilitatem.

Secunda difficultas. Quia intellectus noster concipit talia entia positive affirmando et negando aliquid de eis, et ipsa componendo. Et ideo cum ista compositio non possit esse in re, videtur in ratione. Dicitur autem quod ista compositio realiter est in imaginatione, nihil tamen ei respondet in re extra nisi partes, et eodem modo in falsa ratione realiter, et sic arguitur veram rationem fieri ista compositio realium conceptuum de partibus istius entis, tunc ista compositio erit realis.

Tertia difficultas. Quia licet partes istius entis prohibiti sint in re, tamen compositio non potest esse nisi in ratione. Et sic illa erit ens rationis. Videtur autem quod ista compositio bene est in falso, aut in vero in mente, tamen ipsa est ibi realiter, chimera est in pictura, et sicut secundum compositionem picturae nihil respondet in re, ita nec isti compositioni in mente.

Quarta difficultas. Quia est impossibile invenire intellectionem sine obiecto. Et ideo cum apud intellectum sit intentio de ista compositione, oportet ut ei respondeat aliquod obiectum, et non potest in re, et per consequens in ratione. Dicitur autem quod isti conceptui respondet quidditative compositio, quae invenitur in entibus compossibilibus, et in hoc falsificatur conceptus, quia illa compositio impossibilibus applicatur.

Sed remanet dubium. Quia directe ista entia prohibita, quia impossibilia essent entia prohibita, et ista ponuntur impossibilia. Dicitur autem quod isto modo non sunt neganda quaedam entia prohibita esse entia prohibita, ipsa tamen non sunt prohibita per actum rationis, sed in re.

OCTAVUM PUNCTUM EST de entibus successivis,...

...quae ponuntur pro tanto esse in anima, quia nulla eorum pars existit actu in rerum natura, quia quicquid est in eis praeteritum, totum est corruptum, et quicquid futurum, nondum est. Et ideo ista entia solent poni entia rationis. Et tamen istud stare non potest. Tum quia ante humanam rationem, quae fuit creata die sexta, fuerunt quinque temporis dies, ut testatur divina scriptura. Tum quia motus coeli causatur ab intelligentia, et non ab anima nostra. Tum quia nullum ens rationis potest percipi per sensum. Motus autem solis, cum sit ens successivum, per visum percipitur. Tum quia scientiae reales producuntur per motum, et tamen entia realia non possunt accipere esse per entia rationis. Ideo dico quod entia successiva quantum ad suum modum essendi sunt realia, quia pars earum parti succedit in rerum natura.

Sed oritur difficultas. Quia totum tempus praeteritum nunc non est in re, et tamen est in ratione, et sic est in re, quia totum praeteritum est realiter in sua praeteritione, et eo quod realiter praeteriit.

Secunda difficultas. Quia futura non habent esse in re, et tamen circa ipsa negociatur animus noster, et sic videntur tantum entia rationis. Dicitur autem quod sicut praeterita praeterierunt realiter, ita futura realiter erunt. Et sic in sua futuritione sunt realia, sicut praeterita in sua praeteritione.

Tertia difficultas. Quia si praeteritum iam praeterierit realiter, et futurum realiter sit futurum, tamen ista non sunt nunc in rerum natura, et tamen nunc intelliguntur. Dicitur quod nunc intelliguntur non tamen pro nunc, sed quodlibet pro suo modo, sicut Deus videbat ab aeterno futura, non tamen pro aeterno.

Quarta difficultas. Quia quando operatio intellectualis elicitur, tunc tamen alias ad suum obiectum remanet, quia tunc refertur. Et ideo intentio de praeterito et futuro in instanti terminatur ad ipsa, cum tamen ipsa tunc non sint nec pro tunc, nisi forte in ratione. Dicitur autem quod sicut ad entia in potentia potest terminari actualiter operatio aliqua intellectiva, ita ad ista.

Sed remanet dubium, quia prioris ad posterius respectus semper ponitur, et in successivis non potest poni realis, quia terminus non est in re,

quando est finitum. Puta quando posterius est, prius non est, et sic videtur respectus rationis. Dicitur autem quod sicut respectus potentiae materiae ad formam, quae non est, est realis, quia respicit ens in potentia, quod non est fabricatum ab anima, sic in proposito.

NONUM PUNCTUM EST de entibus relativis.

Quia licet in relationibus primi et secundi modi, quos posuerunt peripathetici, sit relatio realis mutua, tamen in relationibus tertii modi est in uno extremo relatio realis, utpote scientiae ad scibile, et tamen mensurae ad mensuratum et scibilis ad scientiam non est relatio realis, et per consequens rationis. Et istud declaratur quadrupliciter.

Primo in habitu scientiali, quia contingit scire illa, quae realiter non existunt, utpote angeli noverant creaturas antequam existerent, et sic scibilis ad scientiam non potuit esse relatio nisi rationis.

Secundo in operatione intellectuali, quia in actu beatifico, si Deus realiter in ratione obiecti refertur ad actum, acquireret talem relationem de novo.

Tertio in operatione voluntaria beatifica, cuius obiectum est divina essentia sicut in intellectu et tamen realiter ad ipsam refferi non potest.

Quarto in operatione visiva, quia cum solem videam sicut visibilem realiter refertur ad actum videndi. Tunc quotiens sol videretur per acquisitionem novae relationis realiter mutaretur. Ideo dicunt communiter quod necessaria est relatio rationis in tali extremo, ut terminent relationem realem alterius.

Sed contra istud arguitur dupliciter.

Primo. Quia si non potest terminari sine ente rationis realis relatio, tunc reale ens dependet ab ente rationis, cum omnis relatio dependeat a termino et fundamento.

Secundo. Quia circumscripto respectu rationis remanet realis relatio, et tunc sic non potest terminari, nec realiter, nec per rationem.

Ideo dico quod nulla est ibi necessaria ad terminandum relatio rationis, sed relatio realis mensurati terminatur ad absolutum mensurae sicut declarat Doctor Subtilis.

Sed oritur difficultas. Quia ipsa mensura quandoque non est realiter, ut cum scibile non est in rebus, ut supra patuit. Dicitur autem quod licet scibile non semper sit in esse existentiae, tamen semper est in esse essentiae, quod non est fabricatum ab anima, et in tali esse terminat realem respectum.

Secunda difficultas. Quia scibile in quantum scibile aut intelligibile non dicitur ad se intelligibile, sed ad actum intellectus, et ideo videtur ad ipsum refferi, et non relatione reali, et per consequens rationis. Dicitur autem quod refertur ad ipsum relatione fundamentali, aut dicitur scibile vel scitum denominatione extrinseca ab actu sciendi.

Tertia difficultas. Quia si scibile referatur ad scientiam fundamentaliter, tunc melius poterit terminari relatio scientiae ad ipsum respectum quam ad absolutum. Dicitur autem quod non, quia relativa sunt simul natura, terminus praevenit rationem ab ipso et fundamento dependentem.

DECIMUM PUNCTUM EST de habitudinibus extrinsecis.

Quia Deus ad extra habet multas habitudines, sicut est omnium Creator et Conservator, et istae habitudines non sunt respectus reales, cum convenient Deo ex tempore, et nihil reale ex tempore ei potest convenire, et ideo videntur esse respectus rationis. Et declaratur istud in exemplo quadruplici.

Primo. In eo, quod dicitur in tempore *Deus omnium causa.*

Secundo. In eo, quod dicitur *omnium Dominus.*

Tertio. In eo, quod dicitur *omnium Pater.*

Quarto. In eo, quod dicitur *omnium Superior.* Isti sunt respectus ad creaturam et non reales, et per consequens rationis.

Sed istud non potest stare, sicut ostenditur via quadruplici.

Primo. Quia Deus est realiter omnium causa, et per ens rationis nihil potest esse realiter tale.

Secundo. Quia ipse est Dominus omnium circumscripto omni actu nostrae rationis.

Tertio. Quia nos non facimus Deum Patrem omnium, cum faciamus omnia entia rationis.

Quarto. Quia si Deus esset superior per nostram considerationem, tunc non esset melior realiter creatura.

Ideo dico quod ista, quae sic dicuntur de Deo, non possunt salvari per respectus rationis, cum talia sint realissima, sed salvantur per hoc, quod Deus denominatur denominatione extrinseca a relatione reali, quae est in creatura, sicut dicitur realiter humana denominatione extrinseca ab humanitate, quae non est in ea.

Sed oritur difficultas. Quia illa denominatio est ad placitum, et non in re ipsa, et ideo videtur esse reversio ad entia rationis. Dicitur autem quod licet talis denominatio sit ad placitum, tamen in se est realis, et per ipsam intelligimus aliquid, quod est in re.

Secunda difficultas. Quid intelligimus in re per illam extrinsecam denominationem. Dicitur autem quod cum dicitur Deus Creator, non intelligimus nisi novam dependentiam creaturae ad ipsum secundum suum absolutum, quo terminat talem respectum sicut supra.

Tertia difficultas. Quia si Deus ut Creator non referatur ad creaturam realiter, tamen nos intelligimus Deum per modum habentis respectum ad creaturas, et illud est secundum respectum rationis. Dicitur autem quod ille

intellectus, qui sic concipit intelligit falsum, quia attribuit Deo illud, quod est relativum, quod ei repugnat, ut patuit in alia quaestione.

*Tertia difficultas.*⁵ Unum correlativum infert alium per locum a correlativis. Si igitur creatura est, ergo Creator est aliud correlativum et non secundum rem, et ideo secundum rationem. Dicitur autem quod licet inferatur aliud correlativum, non nisi secundum denominationem extrinsecam.

UNDECIMUM PUNCTUM EST de productis in esse cognito.

Et quidem cum intellectus noster producat obiecta sua in esse cognito, illud esse cognitum non est reale, cum non maneat circumscripto opere nostrae intentionis, et ideo illud esse cognitum videtur pertinere ad entia rationis. Illud tamen stare non potest, quod ostenditur quadruplici via.

Primo. Quia talia obiecta producuntur in tali esse per operationem intellectus realem, et realis operatio non potest esse ad ens rationis.

Secundo. Quia per hoc dicitur tale obiectum intellectum, quia ad ipsum terminatur intellectio. Constat autem quod ad ipsum realiter intellectio terminatur, cum scientia ad scibile realiter referatur.

Tertio. Quia intelligere et intelligi sunt relative opposita, et ideo si unum ponatur in natura et reliquum, et ideo cum quilibet intelligat realiter, oportet quod obiectum realiter intelligat, et illud est in esse intellecto produci.

Quarto. Quia quanto intellectio est perfectior, tanto perfectius obiectum intelligitur, et sic cum intuitiva sit perfectissima, perfectissime producit obiectum suum in esse cognito, et tamen ad ipsam non pertinet entia rationis fabricare.

Ideo dico quod esse cognitum, in quo producuntur obiecta per actum cognoscendi, non pertinet ad entia rationis, cum realiter talia cognoscantur, et talia entia rationis distinguuntur contra entia realia.

Sed oritur difficultas. Quia entia, qua non manent circumscripto omni opere rationis, dicuntur esse entia rationis, et talia sunt ista esse cognita. Et dicitur quod isto modo non sunt neganda illa entia rationis, quia a ratione derelicta, non quia a ratione negociante considerata.

Secunda: si esse cognita in obiectis possunt dici esse realia. Dicitur quod sic communiter. Quia non confinguntur ab anima, non tamen stricte cum modo realitatis, quia tam possibile quam impossibile illud esse cognitum accipiunt eo modo, quo cognoscuntur.

DUODECIMUM PUNCTUM EST de productis in esse volito.

Quia sicut humanus intellectus potest producere in esse cognito, ita voluntas humana in esse volito suum obiectum, et talia non possunt esse

⁵ Jedná se zřejmě o chybu a mělo by zde být „quarta difficultas“.

entia realia, ut ostenditur, et per consequens necessarium est, ut sint entia rationis. Et quod sit dare entia rationis apud voluntatem, declaratur exemplo quadruplici.

Primo. In principe spiritualium, quem instituit solus consensus quorundam fidelium, et tamen non videtur causare aliquid in eo reale.

Secundo. Quia solus consensus primo ab initio instituit reges.

Tertio. Quia princeps spiritualium institutus sola voluntate dat alicui dignitatem, et illa dignitas non videtur esse realis.

Quarto. Quia princeps temporalium instituit principes suos in dignitatis officiis, qua non videntur importare nisi respectus rationis.

Sed contra. Quia omnia illa sunt realiter volita, et sic esse volitum non est a ratione confictum.

Secundo. Quia illa sunt principia sanctarum operationum, dum iuste potest aliquid facere sic institutus, quod non poterat ante institutionem, nullum autem ens rationis potest esse principium realis actus iustitiae.

Ideo dico quod illa entia non sunt a ratione conficta, sed sunt ab actu voluntatis humanae vel divinae derelicta realiter, sicut talia realiter sunt volita.

Sed oritur difficultas. Quia si talia entia sunt realia, quomodo possunt causari a voluntate sola, et in quantacumque distantia, et in qualicumque multitudine. Dicitur quia sunt entia respectiva, quemadmodum una albedo nova causat respectum similitudinis in omnibus aliis albis, et quantumcumque distantibus.

Secunda difficultas. Quia voluntas circa inanimata non videtur, quod de novo aliquid reale imprimat in institutione aut mutatione ministrantis, et tamen hoc pertinet ad illa esse volita. Dicitur autem quod sicut ad quemlibet effectum noviter productum omnia creata acquirunt novum realem respectum scilicet conformitatis aut difformitatis, ita non est inconveniens, quod a nova principis voluntate numisma mutet percium reali respectu.

Tertia difficultas. Quia cessante voluntate principis, immo ipso mortuo manent eius instituta, et tunc non videntur esse realia, quia non est realis causa. Dicitur autem quod talia possunt salvari in ordine ad voluntatem divinam aut ad legem scriptam aut in mentibus subditorum retentam, quae omnia sunt realia.

Quarta difficultas. Quia illa non videntur manere circumscripto opere rationis, cum esse volitum praesupponat esse cognitum, et sic videntur entia rationis. Dicitur autem quod illo modo accipienda illa non sunt neganda entia rationis, quia scilicet a ratione derelicta, non quia a ratione conficta.

TERTIUMDECIMUM PUNCTUM EST de indivisibilibus.

Quia illa, quae sunt indivisibilia in rei natura, dividuntur a nostra intelligentia, et sic talis divisio pertinet ad rationis entia. Illud autem declaratur dupliciter.

Primo. Quia cum punctum sit omnino indivisibile in genere quantitatis continuae, dividitur in duo signa, secundum quod unum et idem punctum est principium unius lineae et finis alterius.

Secundo declaratur. Quia cum instans in tempore sit omnino indivisibile, tamen dividitur in duo signa secundum quod est finis praeteriti et initium futuri, et sic illa signa videntur esse entia rationis.

Sed istud stare non potest duplici ratione.

Primo. Quia sicut una linea realiter terminatur in uno puncto, ita alia ibidem realiter incipit, et sic punctum non potest pertinere ad entia rationis secundum quod unam lineam terminat et aliam inchoat.

Secundo. Quia nisi tempus praeteritum in instanti terminaretur, realiter esset infinitum et nisi futurum ibi inchoaretur, foret aeternum, et sic illa signa non sunt ab anima fabricata.

Ideo dico quod illa signa, quae dicta sunt, non sunt entia rationis, si unum punctum per respectum ad diversas lineas habet duas habitudines reales, secundum quarum unam dicitur principium unius, et secundum aliam finis alterius, et ita idem instans secundum diversos respectus dicitur initium futuri et finis praeteriti.

Sed oritur difficultas. Si extrema contradictionis possunt convenire istis indivisilibus secundum ista signa, ut insint in eodem instanti. Dicitur autem quod sic. Quia cum instans secundum unum signum sit principium futuri, et secundum aliud non sit principium futuri, sed finis respectu praeteriti, extrema contradictionis insunt scilicet esse principium futuri et non esse principium futuri.

Secunda difficultas. Si inter ista extrema est vera contradictionis oppositio. Et dicunt quod non, quia nisi secundum idem signum applicata, nec ad idem, illud tamen non valet, quia quaecumque aliqui ex suis rationibus formalibus opponuntur, ubicumque ponantur extrema semper remanet oppositio, sicut albedo et nigredo, ad quaecumque applicatur, nunc autem est principium futuri et non est principium futuri, ex suis rationibus contradicunt, sicut affirmatio et negatio, et ideo sive applicentur ad idem, sive ad diversa semper sunt contradictoria.

Tertia difficultas. Quia tunc contradictio frustra poneretur inter impossibilia, cum inveniatur ita in rei natura. Dicitur autem quod contradictorii entitas non est ens prohibitum, sed solum coimpossibilitas, sicut manifestius patet in contrarietate.

Quarta difficultas. Quia cum entitas et veritas convertantur, si contradictoria sint entia, erunt et vera. Dicitur autem quod eo modo, quo sunt entia illa contradictoria, eo modo sunt vera quantum ad contradictionem incomplexam, quae opponitur contrarietati et rationi, et non quantum ad contradictionem complexam, quae opponitur subcontrarietati et subalternationi, nec sic est vera contradictio, nisi sint secundum idem subiectum, et tale est ens prohibitum.

Sed remanet dubium, quia tunc talis contradictio non erit nisi in relatione, cum non possit esse in re, et sic erit ens rationis. Dicitur quod ipsa est realiter in ratione nostra sicut in voce realiter, quamvis in re non habeat conformitatem realem, et ideo non vera realiter.

QUARTUMDECIMUM PUNCTUM EST de numeris,...

...*quia* numerus, quo numeramus, cum non possit esse in rerum natura, videtur esse tantum in anima, et sic esse ens rationis. Quod⁶ autem non possit esse in rei natura declaratur, quia in entibus realibus non videtur esse processus in infinitum, sicut est in numeris secundum beatum Augustinum.

Illud autem stare non potest. Tum quia in figuris est processus in infinitum angulos multitudo⁷, eadem ratione, et tamen sunt entia realia. Tum quia in quantitibus continuum in infinitum dividendo.

Ideo dico quod numerus est realis entitas, quia est unum de communibus sensibilibus, et tamen rationis entia non percipiuntur per sensum.

Et confirmatur. Quia sicut unum et multa sunt passio disiuncta entis rationis in ratione, ita in re entis realis, quemadmodum idem et diversum. Et iterum quandoque homines sunt quandoque in re.

Sed oritur difficultas. Quia numerus invenitur in entibus prohibitis, quemadmodum chimera et hircocervus dicuntur entia duo prohibita, et tamen in talibus nulla invenitur realitas. Dicitur autem quod talia habent pluralitatem secundum quid, sicut et entitatem, et ideo non est ibi pluralitas vera.

Secunda difficultas. Numerus dicit compositionem ex partibus suis, et si est realis realem compositionem, et ideo si est realiter in Deo Trinitas, ipse est realiter compositus. Dicitur autem quod in Deo sunt tres personae realiter, alioquin verum dixisset Sabellius negans Trinitatem realem. Numerus autem in sua ratione transcendentem nullam facit compositionem, quae est entium in potentia cum actu, a quo abstrahit transcendens multitudo.

QUINTUMDECIMUM PUNCTUM EST de reflexionibus.

Quia reflectendo actum intellectus aut voluntatis super actum est processus in infinitum secundum beatum Augustinum. Et ratio illud docet, quia eadem ratione, qua possumus intelligere unum actum, possumus et alium, et sic in infinitum, et ita de volitione, cum quilibet actus cadat sub naturali obiecto illarum potentiarum, et ille processus in infinitum non

⁶ Nejisté.

⁷ Zdá se, že by zde mělo být spíše „multiplicatio“.

videtur secundum rem possibilis, et ideo talis multiplicatio videtur esse secundum entia rationis.

Sed illud stare non potest. Tum quia realiter quilibet actus intelligi potest, et sic est realis reflexio et non rationis. Tum quia quamlibet intellectionem in nobis experiri possumus, et tamen experiri non possumus entia rationis.

Ideo dico quod processus illarum reflexionum est realis quantumcumque vadat, sicut continui divisio aut augmentum secundum eius divisionem.

Sed oritur difficultas. Quia cum posterior reflexio semper praesupponat actu omnes priores intellectiones, tunc ultra omnem numerum erit dare simul intellectiones. Dicitur autem quod ita videtur esse possibile aut dare terminum ultimatae reflexionum.

Secunda difficultas. Quia nos experimur, quod ex secunda consideratione prior remittitur, quia intellectus non potest esse ita perfecte ad plura intentus, et sic multiplicatio reflexionum posteriorum remittit priores actus, donec istos corrumpat. Dicitur autem quod talis remissio concurrit in actibus desperatis non in essentialiter ordinatis, sicut sunt isti, quemadmodum ex cognitione praemissarum non remittitur conclusionis notitia.

SEXTUMDECIMUM PUNCTUM EST de obiectualibus conditionibus.

Quia inter ceteras obiecti conditiones est ista, quod *nulla potentia extenditur ultra communicabilitatem sui obiecti.* Et ideo cum obiectum primum intellectus nostri sit ens, ultra rationem entis non se potest extendere consideratio nostra, et sic cum entia prohibita et privativa, ut patuit, intelligantur a nobis, sequitur quod sint entia aliquo modo. Et non secundum rem. Igitur secundum rationem.

Sed illud stare non potest duplici ratione.

Prima est, quia ista ut terminant actum nostrum intelligendi praeveniunt nostram considerationem, cum habitudo sit posterior suo termino, et per consequens respectus actus ad obiectum, et sic in priori illo non sunt entia rationis.

Secunda ratio est, quia divinus intellectus, qui non fingit talia entia rationis, secundum communia dicta intelligit talia, cum omnia a nobis intellecta sint Deo notissima.

Sed oritur difficultas. Quomodo intellectus noster potest se extendere ad talia obiecta, cum abiiciant rationem sui primi obiecti. Dicitur autem quod cum lux ponatur, apud nonnullos, primum obiectum visus nostri, tamen per visum percipitur non solum lux, sed et tenebra negativo modo, et ita per intellectum nihilitas. Et si dicitur quod ille est actus positivus, quo intelliguntur entia prohibita. Dicitur quod ille terminatur ad partes, ut sunt

entia ad compositionem, quae est in non prohibitis. Et forte puram nihilitatem per se non intelligit.

Secunda difficultas. Quia cum in talibus entibus inveniatur veritas. Ut cum dicitur chimera est ens prohibitum et unitas, quae sunt entis passiones, ibi entitas eo modo negari non potest. Dicitur autem quod sicut ibi est entitas secundum quid, ita unitas et veritas. Et si dicatur quod illud secundum quid est a ratione. Dicitur autem quod non, quia esse ens prohibitum est esse secundum quid ens, et illud est ens prohibitum non a ratione.

Tertia difficultas. Quia illud quod est verum tantum secundum quid, est simpliciter falsum, cum non sit verum simpliciter, et ideo si ista est vera tantum secundum quid, chimera est ens prohibitum, illa est simpliciter falsa, et tunc eius opposita est vera simpliciter, chimera non est ens prohibitum, et tunc poterit causari. Dicitur quod illa chimera est ens prohibitum, tantum valet sicut illa, partes chimerae sunt impossibiles, et illud est verum simpliciter propter veram partium entitatem, si autem dicas *nihil est nihil*, hoc non est nisi unus terminus, ut patuit supra.

Quarta difficultas. Quia sicut negans loquelam. Negando loquelam concedit loquelam, quod ostendit negando, ita videtur de entibus rationis, cum quis negat ea videtur quod ipsa ponat, cum omnis complexio praesupponat terminos suos, et ideo qui dicit ens rationis non est, praesupponit ens rationis, sicut prohibitum ens in mente, quod negat. Dicitur autem quod hoc supponitur ens rationis, sicut ens prohibitum, cum dicitur *chimera non est*, et tunc ens rationis est prohibitum ante omnem actum rationis, sicut chimera.

DECIMUMSEPTIMUM PUNCTUM EST de disiunctis passionibus.

Quia sicut par et impar sunt una numeri passio disiuncta, ita unum et multum, idem et diversum, prius et posterius, simplex et compositum sunt entis passiones, et ita sicut impossibile est invenire par et impar sine numero, ita nec aliquam illarum quattuor sine ente. Nunc autem unum et multa inveniuntur in puris negationibus, idem et diversum in privationibus, prius et posterius in universalibus, compositio aut simplicitas in entibus prohibitis, et ideo illa necessario erunt entia, et constat quod non realia, et per consequens rationis.

Dicitur autem quod illae passiones disiunctae non conveniunt talibus simpliciter, sed secundum quid tantum, sicut enim humanitas convenit homini mortuo secundum quid, ita et unitas humanitatis, et secundum hoc unum et multa, idem et diversum etc., quae istis attribuuntur non sunt unum et multa simpliciter, sed secundum quid tantum.

Sed oritur difficultas. Quia si in tali esse secundum quid sunt entia, cum non sit dare esse sine entitate, et non entia realia, et per consequens rationis. Dicitur quod immo sunt realia secundum quid sicut imago vel

pictura animalis dicitur animal secundum quid realiter, quia est animalis, et ita istae negationes et nihilitates, quia sunt entium realium prohibitiones.

Secunda difficultas. Quia esse alicuius dicit habitudinem ad illud et respectus non potest fundari nisi in ente. Dicitur quod sunt alicuius secundum rem sicut caecitas realiter est privatio visus, et ideo non est inconueniens, si dicantur ens per analogiam ad suum oppositum, quia dicit beatus Augustinus De Trinitate quod *in eodem praedicato sunt affirmatio et negatio sibi opposita*, et per hoc ostendit ingenitum esse relativum.

Tertia difficultas. Quia si ista sunt entia in analogia ad opposita, ideo per attributionem ad illa, et per comparisonem intellectus ad illa, dicit respectum fundatum in illis, quae habent attributionem, et sic cum relatio praesupponat suum fundamentum, habebunt entitatem ad illam attributionem. Dicitur quod secundum se, ut prescindunt ab omni ordine, habent suo modo esse privative, et secundum hoc fundant respectus pertinentes ad suum modum essendi, quamvis modo positivo exprimantur.

Quarta difficultas. Si iste modus essendi est entitas realis aut rationis. Dicitur quod non entitas rationis, cum nihil ibi faciat ratio, nec entitas realis forma, sed non entitas, et illud est proprie dictum non esse, et ideo licet omne, quod est, sit ens, et non omne, quod non est, et istorum esse tantum est, sicut non esse.

DECIMUMOCTAVUM PUNCTUM EST de respectibus terminantibus.

Quia cum respectus omnis ex sua ratione diffinitiva sit ad aliud, oportet ut respectus arguat in termino aliquam entitatem, alioquin non esset ad aliud. Et ideo cum ad illa omnia scilicet negationes puras et entia prohibita terminentur respectus, oportet quod ut sic sint entia. Et quod reales respectus terminentur ad alia declaratur quadrupliciter.

Primo quidem in contradictione, quae est realis oppositio, et oppositum in quantum tale refertur ad suum oppositum, et sic ens ad nihil refertur, et nihil est aliquid, et per consequens ens et non reale et consequens rationis.

Secundo in creatione, quae realiter est productio de nihilo, quia esse de nihilo non potest intelligi sine ordine ad nihil.

Tertio in annihilatione, qua realiter creatura annihilatur, et illa annihilatio non potest intelligi sine respectu ad nihil, cum tendat in ipsum.

Quarto in nostra intellectione, quia nos intelligimus ipsa nihila, cum de nihilo disputamus, et sic intellectio est nihili ut obiecti mediate vel immediate. Esse autem alicuius est ad ipsum referri eo modo, quo est ipsius, et sic dicitur ad nihil aliud, quod est aliquid.

Dicitur autem omnibus istis quod respectus ad illas negationes non videtur posse negari, et tunc ille respectus est ad nihil non ut omnino nihil, sed ut nihil est aliquid privativum.

Sed oritur difficultas. Quia aliquid et ens convertuntur, et ideo si talia sunt aliquid, eo modo sunt entia. Dicitur quod aliquid et ens possunt accipi proprie, et sic non se extendunt nisi ad positiva. Aut communiter, et sic se extendunt ad privativa, ut dicunt aliquid extra animam eo modo, quo sunt privativa, et sic terminant illos respectus, qui sunt ad aliquid.

DECIMUMNONUM PUNCTUM EST de negativis remotionibus,...

...*quia* quodcumque aliqua propositio negativa verificatur, veritas illius consurgit ex rationibus formalibus suorum terminorum, sive mediate sive immediate, sicut in propositionibus affirmativis, quia sicut homo est animal ex rationibus terminorum, ita homo non est asinus ex rationibus formalibus eorundem, et ideo cum illa sit vera, ens rationis non est, sequitur quod istud verificatur ex rationibus formalibus terminorum, et sic ens rationis habet rationem formalem, et per consequens entitatem.

Dicitur autem quod sicut nihila sunt entia largo modo, ita entia rationis, cum ponantur nihila, sicut entia prohibita, et illo modo hoc veritas non negatur.

Sed oritur difficultas. Si negatio entium rationis est intelligenda secundum rationem. Dicitur autem quod non, quia tunc circumscripta ratione esset ens aut eorum affirmatio, et sic non entia rationis.

Secunda difficultas. Si illa negatio est intelligenda secundum rem. Dicitur quod sic, quia quicquid praecedit nostram considerationem, est intelligendum secundum rem, et illa entia omnes non negant ante nostram considerationem.

Tertia difficultas. Cum negatio non possit auferri nisi per positionem oppositae affirmationis.

Quarta difficultas. Quia secundum illa non videtur nisi quod entia rationis in realia convertuntur, cum entia prohibita et universalialia sint talia realiter, et tunc ponuntur maxime entia rationis. Dicitur autem quod non ponuntur realia positive, sed privative, sicut medium inter contradictoria realiter negata, et ideo non ponitur.

VIGESIMUM PUNCTUM EST de identitatis affirmationibus,...

...ut cum dicitur ens rationis est ens rationis, quia illa propositio negari non debet, alioquin sua opposita esset vera, ens rationis non est ens rationis, sed conceditur affirmativa eo modo, quo conceditur quod entia rationis ponuntur, quia hoc affirmantur de seipsis.

Et confirmatur. Tum quia veritas est passio entis, et ideo ubicumque est invenire veritatem, est invenire entitatem. Tum quia unitas eodem modo ponitur passio entis. Et hoc est unum subiectum et unum praedicatum, et per consequens ens non reale, et ideo rationis.

Dicitur autem quod licet illa complexio sit apud imaginationem, non tamen apud intellectum nisi unus terminus simpliciter, et eo modo, quo est unus, non potest negari, quin sit ens, ut ens se extendit secundum praemissa ad positiva et privativa.

Sed oritur difficultas. Quia illo modo, quo conceditur illa complexio, ponuntur entia rationis, et sic omnino non negantur. Dicitur autem quod illa, qua omnino negantur, hoc modo conceduntur, sicut compossibilitas extremorum contradictionis omnino negatur, et tamen conceditur quod ipsa est impossibilis.

Secunda difficultas. Quia secundum istum modum ista entia rationis non sunt nisi reales negationes, et sic non sunt entia rationis. Dicitur quod sunt entia rationis in esse prohibito, sicut chimera est chimera aut nihil est nihil.

Tertia difficultas. Quia nihil est nihil, aequipollent ad quodlibet est aliquid, et in esse affirmativo ponuntur, dum dicuntur esse nihil. Dicitur autem quod quando nihil se habet per modum negationis negantis, tunc est talis aequipollentia, quando per modum infinitis sumptum materialiter pro ipso nihil, de quo nunc fit mentio, tunc est ipsum ens rationis, quod sit negatum.

Dico tamen ad quaestionem quod entia rationis simpliciter non sunt neganda nisi propter dicta communia, tunc illa, quae possunt sustineri, debent fieri realia, si possunt declarari. Et ad illud laboravit, quo ista et gratia exercitii dimittenda sunt argumenta.